




Biblioteka Narodowa
Warszawa



30001018614426

T2.070.11H



W. Eccles

19694

D E
ACADEMIA VETERE.

DISSERTATIO
INAUGURALIS PHILOSOPHICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
ORDINIS
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA BEROLINENSI

UT
SUMMI IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE XXI. M. DECEMBRIS A. MDCCCLXXXIV.

H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR
Antonius Małecki
POSANIENSIS.

ADVERSARIIS ERUNT:
C. Szymański, Philos. Cand.
J. Stefański, Philos. Cand.
A. Koczorowski, Jur. Stud.

BEROLINI,
TYPIS NIETACKIANIS.

21694



T 2.040.114



**COMITI ILLUSTRISSIMO
JOSEPHO GRABOWSKI,**

DIRECTORI GENERALI SOCIETATIS CHORIONOMICAE IN
MAGNO DUCATU POSNANIENSI; ORDINIS REGII AQUILAE
RUBRAE IN CLASSE SECUNDA, ORDINUM FRANCOGALLI-
CORUM LEGIONIS HONORIS ET VIRTUTIS MILITARIS
EQUITI, ETC. ETC. ETC.

VIRO HUMANISSIMO
SUMMA SIBI SEMPER PIETATE COLENDO.

H U N C L I B E L L U M

ADDICTISSIMI GRATISSIMIQUE ANIMI

MONUMENTUM ESSE VOLUIT

AUCTOR.

Quum omnis ars, omnisque liberalis disciplina singulari clarissimorum in omni litterarum genere hominum studio et cura adeo hac aetate culta sit et perpolita, ut non solum in magnis verum anquirere, sed etiam in parvis recta videre minoris jam res laboris sit; tum vero praestantissimum sapientiae studium, neglectum diu aut temporibus remissum, succrescente felicissimo eorum hominum proventu, qui copiosam ad illud doctrinam et subactum ingenium attulerunt, ex philosophorum scholis atque umbraculis in vitam et lucem protractum est. In quo philosophiae studio ita multos hodie tam prospero successu videntur elaborare, ut licet obscuru saepe et inexplicabili quodam quasi involucro implicata sit

minum animos aut retinere studium poterit, humilitatem.

Eruditam illam in tradendis philosophiae praceptoribus popularitatem quum multi olim harum rerum idonei arbitri commendaverint, tum nuper Trendelenburg, vir incredibili diligentia, peracuto ingenio, summa philosophiae scientia, qui Platonis et Aristotelis studia forti animo non solum renovavit, sed mox in hoc eruditionis genere ita excelluit, ut pares jam habeat paucissimos, quum enarraret totius philosophiae historiam, eo loco, quo de Academia sermo erat, conquestus apud auditores est, obscuriora esse fata Academiae veteris, optandumque, ut quae de ea a scriptoribus et philosophis passim sparsa reperirentur, aliquis colligeret et in naturam ejus accuratius inquireret. Ita me quum rei ipsius gravitas, tum auctoritas viri summa pietate colendi movebat, ut magno illius laboris suscipiendo studio exordescerem. Scribendi quae fuerit difficultas, lector eruditus non ignorabit. Homines enim et res et tempora quoniam tam

arte inter se cohaerent, ut divelli nisi perniciose errore nequeant, qui volet de vetere Academia non errantem ac vagam, sed stabilem certamque habere sententiam, is si divini illius auctoris principisque Platonis non solum placita scite explicabit, verum etiam, quomodo a discipulis et familiaribus intellectus sit, hi quid in disciplina mutaverint, quid reliquerint intactum, illa ipsa denique disciplina quam vim ad studia ejus aetatis et artes habuerit conformanda, diligenter enarrabit, is, inquam, tum demum munere suo omni ex parte perfunctus esse videbitur.

Magnorum enim ingeniorum ac paene divinorum hoc solet esse proprium, ut, quum infinitam mente complectantur rerum copiam et varietatem, ab illis tamquam a capite et origine profecta manent omnia aequalium studia, omnesque, quibus vitae humanae commoda adjuvantur, artes, omnis denique ejus, qua vivunt, aetatis humanitas.

Quae cum ita sint, eadem, quae metum injiciebat, faciebat etiam animum scribendi mate-

ries, si utilitas quaeritur, opportunissima, si animi oblectatio, jucundissima, si dignitas, amplissima. Versatur enim nostra qualiscunque opella in Platonis philosophiae indole cum temporum illorum hominumque natura comparanda. In quo argumento omni ex parte explicando quamquam non unius potest hominis sufficere contentio: tamen huic me provinciae, quam suscipiebam, aliqua jam exercitatione assueficeram, nec nudus videbar ad rem cum bona voluntate, sed etiam cum facultatibus quibusdam accessisse.

Verumtamen libris, qui lucem daturi videbentur, coactis, temporisque spatio non plane brevi sine magno eventu in re investiganda insumpto, quam difficultates magis magisque crescerent, fructusque spe viliores ex studio in rem collato me percepturum sentirem, adducebar etiam in eum metum, ut ne messis laborem plane frustraretur quam maxime timerem. Quae enim in libris philosophiae universae fata tradentibus de Academia vetere inveni, haec utpote

brevius et exilius quam cuperem tractata, satisfacere mihi nullo modo poterant. Plurima quidem dedit **Ritterus**. Omnes aut totam hanc de Academiae veteris philosophia quaestionem plane omissam praetereunt (ut **Hegelius**); aut locis gravioribus, ubi mentio ejus fit, laudatis, rem minoris momenti rati omnes jam curas volunt esse suspensas. Quod tamen illis, rem tam immensae molis et magnitudinis, quantae philosophia universa est, aggressis, exprobari non potest. Itaque mihi, quum etiam singulares ejusdem aut similis argumenti scriptiones deessent, nihil reliquum erat, quam ut in iis locis, quibus Academiae veteris apud scriptores rerum antiquarum mentio fit, colligendis, recensendis, coniungendis meo ipsius et sensui confiderem et niterer judicio. Loci varii ac saepe diversi, interdum inter se repugnantes, fere vero abrupti et ad unum totum efficiendum minime apti, mihi ita et inter se comparandi et conformandi erant, ut consona veritatis testimonia fierent; ubi in errores incidere quam primum fuerit, unusquis-

que facile intelligit. Ego quidem omni virium intentione, ut ab erroris laqueis caverem, annus sum; fieri tamen facile potuit, ut inter tot conclusiones ex propositionibus tantum veri similibus, inductiones, conjecturas denique, sine quibus quaestiones hujus modi difficillime absolvantur, nonnullae opinione audaciore quam veriores irreperent. Itaque si quid erraverim aut in falsum detorserim, spero fore, ut huic scriptio[n]i quum in argumenti ipsius gravitate et difficultate, tum in humanitate lectorum, quos par est nihil a me amplius, quam quod ingenii mei mediocritas ferre possit, desiderare, non desit praesidium.

I.

Ad rem ipsam priusquam accedamus, praemittenda non nulla videntur, quae de Academiae nomine, partitione, ceterisque conditionibus memoriae prodita sunt. Quae quamquam jam constant, tamen eam ob causam repeto, ut omnia, quae a re proposita non aliena esse arbitror, in unum collata et parata habeam.

Academicorum nomine hi philosophi continentur, qui a Platonis disciplina profecti et locum ejus tenentes, in gymnasio suburbano, cui Academiae nomen erat, et ubi ipse docuerat Plato, in philosophia veritatis studiosos instituebant. Quorum quisque ab eo, qui antecesserat, scholarchus designabatur, ita ut post mortem ejus, et universi Platonicorum gregis quoad viveret summus esset magister, et Platonis philosophiam traderet atque explicaret, aut potius, illa tamquam fundamento usus, sua ipsius commenta et placita ediceret. Itaque qui omnium dignissimus videbatur, is deinceps munus et honorem, qui cum horti adjacentis possessione conjunctus fuisse a nonnullis dicitur, accipiebat. (1)

(1) Quae omnia aliter ab aliis narrantur, Nobis cum hic



Diogenis Laertii auctoritatem si sequimur, primi decem Academiae scholarchi certissime indicari possunt, quos omnes enumerare non attinet. Exceptis enim quinque, qui ad Academiam veterem pertinent, Speusippo, Xenocrate, Polemone, Cratete et Crantore, nullius nec philosophia nec vitae conditio nos morabitur. Totum enim temporis spatium, quod Academia florebat, in stadia quaedam pro ingenio et docendi ratione praceptorum dividebatur. Quorum numerus ita non plane constat, ut alii bifariam, alii trifariam, alii plures etiam in partes Academiam partiantur. Et Sextus quidem Empiricus (Pyrrh. Hypotyp. lib. I. cap. 33. §. 220) quae sequuntur perhibet: Ἀκαδημῶν δὲ γερόντων, ὡς φασι, πλεῖον μὲν ἡ τρεῖς, καὶ μία μὲν καὶ ὅρχαι οτάτη, ἡ τῶν περὶ Πλάτωνα. δευτέρᾳ δὲ καὶ μέσῃ, ἡ τῶν περὶ Ἀρκεσίλαον, τὸν ἀκοντήν Πολέμωνος, Τρίτῃ δὲ καὶ νέα, ἡ τῶν περὶ Καρνεάδην καὶ Κλειτόμαχον ἔνοι δὲ καὶ τετάρτῃ προστιθέασι τῶν περὶ Φίλων καὶ Χάρων τινὲς δὲ καὶ πέμπτην καταλέγοντι τὴν τῶν περὶ τὸν Ἀρτίογον. — Cicero contra duas tantum agnoscit Academias: alteram usque ad Crantorem pertinentem, eamque veterem; alteram inde ab Arcesila, sive Arcesilao, quam novam in universum nominat.

Utcunque est, hoc certe constat, sive tres, sive plures Academias admittimus, Academia vetere illos quinque philosophos contineri. Quorum argumentandi, sentiendi et docendi ratio, quomodo ab aliorum, ad recen-

diutius haerere non liceat, lectorem ad Zumptii, viri illustrissimi librum „Ueber den Bestand der philosophischen Schulen in Athen und die Succession der Scholarchen“, Berlin 1843, accurate de his omnibus exponentem remittimus.

tiores Academias pertinentium virorum doctrina differat, suo tempore et loco ostendemus. Nunc, quae communis et generalis Academicorum veterum natura atque consuetudo fuerit, paucis videtur explanandum. Quod summam, quae recentiores historiae philosophiae scriptores de Speusippi, Xenocratis, Polemonis, Cratetis et Crantorius placitis senserint, quaeris: plerosque in eo consentire invenies, eos fidos fuisse Platonis sectatores, philosophiamque ejus non mutatam et integrum talem, quam acceperissent, professos esse. Quod quidem etsi recte dictum est, habet tamen quaendam modum. Namque suum ipsorum judicium et unicuique quasi innatum corrigendi studium eos omnino demississe, nemo credit, nisi plane imperitus. — Veterum testimonia, quoties in universum Academiae hujus rationem adtingunt, quam inter se repugnantia proferant ut perspiciatur, conferamus ea, quae Cicero et quae Eusebius proferunt.« Speusippus et Xenocrates, qui primi Platonis rationem auctoritatemque suscepserant, et post hos Polemon et Crates unaque Crantor in academia congregati diligenter ea, quae a superioribus (i. e. Platone) acceperant, tuebantur.« Haec Cicero (Academ. quaest. I, 9). At diversa omnino Eusebius (Praep. Ev. Lib. XIV. Cap. 4) qui de Speusippo, Xenocrate et Polemone, ceteris nominatim non memoratis, haec tradidit: τούτοις δὲ ἀφ' ἐστίας ἀρξαμένοις εὐθὺς, τὰ Πλατωνιά φασι παραλίνειν στρεβλοῦτας τὰ τῷ διδασκαλῷ φανέντα ξένων εἰςαγωγαῖς δογμάτων ὅστε σοι μὴ εἰς μακρὸν ἐλπίζειν τὸν τῶν θαυμαστῶν ἐπείνων διαλόγων ἵσχυν ἀποσβῆναι, ἔμα τε τῇ τοῦ ἀγδρὸς τελευτῇ καὶ τὴν τῶν δογμάτων διαδοχὴν συναποτελευτῆσαι. Quae alio loco apud Eusebium confirmantur: verba sunt Numenii Pytha-

gorei (Euseb. Praep. Ev. XIV, 5) ἀρξάμενοι δὲ ἀπὸ ἴνελνον,
καὶ θάττον καὶ βράδιον δισταγό προσαιρέσει ἡ ἀγροίς, τὰ δὲ
δή τινι αἰτίᾳ ἄλλῃ, οὐκ ἄν φιλοτίμῳ ἵσως . . . 'Ο δὲ Πλά-
των . . . αὐτὸς αἰτίαν παρέχει τῆς μετ' αὐτὸν στάσεώς τε
ἄμα καὶ διολκῆς τῶν δογμάτων, οὐ φθόνῳ μέν, οὐδέ γε δυσ-
ροίᾳ. Quae Ciceronis sententiae ita repugnant, ut Academicos veteres non modo inter se invicem discrepuisse,
sed etiam a Platone discivisse testentur et ingenii parum
subtilis dilucide eum arguant; quae enim e scriptis et
dictis eorum nobis servata sunt, haec, ut mox ipsi vide-
bimus, cum Eusebii testimonio optime consentiunt. Alio
loco Cicero eodem libro Academicos cum Peripateticis
comparat: »Nihil enim inter Peripateticos et Academiam illam veterem differebat;« quae nisi ad moralia
referas, probari non possunt. Theophrastus denique in
Met. (Cap. 3 ed. Brand. p. 313) Academicos, philosop-
hia paene neglecta, mathematicis maximopere se dedisse,
affirmat. (1)

II.

Judicia scriptorum, qui quinque illorum Platonis
successorum opera integra cognovisse videntur, quoniam
ita vaga et incerta sunt, ut de re universa nihil firmi
statuere possimus; jam, quae relictā sunt, fragmenta con-
sulamus, eorumque quae sit natura et indoles inquiramus.
Antea tamen ipsi locorum disquisitioni haec prae-
mittere placet.

Sive antiqua, sive recentiora et recentissima respi-

(1) cf. Aristot. Met. I, 7. (p. 33). αλλα γέγονε τὰ μα-
θήματα τοῖς νῦν ἡ φιλοσοφία.

ciuntur tempora, ubique summos quosque philosophos corona sectantium circumdatos aspicimus. Qui quoad magister inter vivos est, nihil sentiunt nec statuant, quod ille ipse non statuerit, ita ut ejus unius ingenii formam exprimant, inter se antem minime dissideant. Habent enim hoc homines abundantes ingenio, ut in homines alios, quamvis diversissimis naturae instrumentis praeditos, quos aut vitae consuetuto aut ratio studiorum cum ipsis conjunxit, vim suam exerceant eorumque animos ad sūi ipsorum ingenii similitudinem conformat. Quibus mortuis, discipulorum adhuc in nullas partes inclinantur corona — jure dices: magnum ipsius ingenii acumen — dirimitur, in partes sui judicii atque arbitrii dissipatur; omnia mortui studia habes, omnia vivunt, fervet opus perinde ac si ipse vivat; nihil deest, nisi unus ille, qui partes dispersas et sine copula disjectas cogitatione conjungat, intellectus. Quod solum gnarum sui ac conscientium partiumque compos totum est.

Itaque quamvis partes illae secundum rationem numerumque harmoniae cujusdam plenum dispositae sint et unum ordinem continuum efficiant: magis tamen magisque ad extremitates solitarias, quae totius veritatis nunquam participes esse possunt, revolvuntur, evilescent, doctrinaque sola, ingenio vitam spirante orba et quasi umbra oppressa, conservantur, donec exorientis instar sideris nascitur tandem novum, altiore e loco propulsans tenebras ingenium, quod laborem generis humani a saeculis inchoatum proprius ad exitum promoveat, magnique decessoris et vices compleat, et fata repetat. Qua via per omne tempus sapientiae studia progressa esse quaeviis philosophiae schola declarat, sive ad vetustissi-

mam aliquam, velut Pythagoreorum (1), sive ad novissimam, diebus nostris propagatam animum advertis.

Quae hic in universum disputata sunt, ea Platonis et discipulorum ejus rationi optime congruunt. Multa aut potius omnia philosophorum, qui ante vixerant, doctrinae principia Plato recepit et suo quodque loco collocavit. Jam ex vita ejus notum est, et Heracliti et Pythagorae et Socratis et aliorum, quos enumerare non attinet, doctrinas eum bene perspectas habuisse, ingenio rationeque sua quasi consignasse, et ita conformatas in philosophiam suam invexisse. Haec disciplinae ubertas, quam ut conservaret integrum ei soli contigit, Academiorum in manibus continuo ita divulsa et dissipata est, ut nemo eorum par ingenio Platoni reperiretur. Singulos potius philosophos illos singuli Academicci in memoriam nostram revocant. Namque in Speusippo, praeципue vero Xenocrate Pythagoram, in Polemone et Crate Socratem, in Arcesilao Heraclitum denuo expressos videre mihi videor. Qua comparatione sane neque propriam eorum indolem omni ex parte explicari volo, et infra ad illustrandam illam et defendendam revertar. Quid, quod in ipsa Platonis ratione, ubi severissima ratiocinatio cum laxiore imaginum inductione, diligens in discernendis rebus ac notionibus philosophi acumen cum beatissimo artificis ingenio, sententiarum quasi a deo aliquo inditarum feracissimo, mirifice consociatum

(1) Cf. Brandisii disputationem „Ueber die Zahlenlehre der Pythagoräer und Platoniker.“ Rheinisches Museum — Zwei ten Jahrganges zweites Heft (1828) praesertim quae pag. 211 explicitur.

unumquemque obstupefacit, ubi fabulae sapientissime adhibitae veritatis fontes sunt, ubi altera ex parte sententia philosopha fabularum sublimi pulchritudine ornatarum sit materies — quid, dico, quod his omnibus libere et varie commixtis Plato ipse tot obtulerat illecebras, verba pro cogitatione, imaginem et translationem, quam vulgo dicunt, pro vero ipso accipiendi! Haec prima palaestra est, ubi totius generis humani ingenium cum graeco artifice ingenio, ubi notio nude, exiliter et proprie proferenda, cum pristina consuetudine veritatem pulchro velamine obtegendi congregitur, cum magna victoriae spe contendit, sed nondum vincit, necdum superior discedit. Quam facile fieri potuit, ut homines acutum minus acri et sollerti praediti, temporibus tam turbidis, quos ipse dux vultu tam dissimili aspiceret, voce tam varia adhortaretur, a Platone, quem unum sequi se putarent, in suas tamen ipsorum vias discedentes desciscerent! Jam quidem Sextus Empiricus (Pyr. Hyp. L. I. cap. 33. §. 221) affirmat: Platonem pro dialogorum diversitate alium ab aliis existimari, ita ut alii eum δογματικὸν, οἱ δὲ ἀποδογματικὸν, alii denique κατὰ μὲν τι ἀποδογματικὸν, κατὰ δὲ τι δογματικὸν esse contenderent. Quibuscum etiam Numenii Pythagorei apud Eusebium locus (Praep. Evan. Lib. XIV. Cap. 5.) cuius partem jam supra attulimus, congruit: Ὁδὲ Πλάτων Πνθαγορίσας ὡδε οὖν καὶ αὐτὸς συνεδήσατο τὰ πρόγματα, οὔτε εἰωθότως, οὔτε δὲ εἰς τὸ φανερὸν. διαγαγὼν δὲ ἔκαστα ὅπῃ ἐνόμιζεν, ἐπικρυψάμενος ἐν μέσῳ τοῦ δῆλα εἶναι καὶ μὴ δῆλα ἀσφαλῶς μὲν ἐγράψατο, αὐτὸς δὲ αὐτιαν παρέχε τῆς μετ' αὐτὸν στάσεώς τε ἄμα καὶ διολκῆς τῶν δογμάτων, οὐ φθόνῳ μὲν, οὐδὲ γε δυσνοίᾳ.

Quae omnia quisque ipse colligat, reputet, videatque, quae inde consequantur.

Evidem iis, quae hactenus disputata sunt, obtinere cupivi, ut et Ciceronis illud de Academia vetere judicium bene se habere, et Eusebii testimonium illi minime repugnare, sed utrumque, re accurate expensa, consentire, perspiceretur. Erant omnes Academicci veteres veri Platonici, omnes Platonis philosophia nitebantur, eaque commenta sua tueri volebant: nihilominus tamen et inter se et a Platone ipso interdum abhorrebant. Quae ut demonstrentur, jam ad rem ipsam accuratius exponendam et, quoad ejus fieri potest, omnibus gravioribus locis illustrandam tandem accedere animus est. Producemus igitur deinceps omnes quinque philosophos, eorumque quae servata sunt cujusque placita, ita inter se confemus, ut quam habeant illa cum Platonis philosophia conjunctionem appareat. — Sub ipsum vero disputationis finem Arcesilai universa philosophandi via paucis adumbrabitur.

III.

Speusippus.

Speusippi ut non modo commenta, verum etiam mores atque ingenium perspecta habeamus, primum quae de vita ejus traduntur commemoranda sunt.

Plato primo anno Olympiadis CVIII. (347 ante Christum natum) anno aetatis octogesimo primo mortuus est, postquam successorem in Academia, Aristotele praetermisso, designavit Speusippum, Atheniensem, pago Myrrhinusium, Eurymedontis et Potones, Platonis sororis filium, et ut nonnulli volunt, Lastheniae, Platonis

discipulae, conjugem. Quem octo annos scholae Platonicae praefuisse, et constanter intra Platonis placita, minus in morum et vivendi ratione universa imitanda perstisset (quibus verbis iracundia et voluptatis amor indicatur), Diogenes Laertius (Libro IV. cap. 1.) memoriae prodidit. Inter γνωσίμους ejus etiam Lasthenia, cuius jam mentionem fecimus, et Axiothea fuisse dicitur. Annis octo, postquam magistri munus suscepit, interjectis, quum in morbum graviorem incidisset, senio confectus, valetudinis recuperandae ope destitutus, se ipsum vita privavit (anno 339 ante Christum.) Reliquit autem complura commentaria et dialogos non paucos in quibus etiam Aristippum Cyrenaeum (1). Hi qualescunque erant, nullius pretii et gravitatis nullo modo esse poterant, quum ab Aristotele coemtos esse traditum sit (2). Jam

(1) Diog. Laërt. IV. 4. hos nominatim libros ab eo scriptos commemorat: Περὶ πλούτου. Περὶ ὑδονῆς. Περὶ δικαιοσύνης. Περὶ φιλοσοφίας. Περὶ φιλίας. Περὶ θεῶν. Φιλόσοφος. Ηγός Κέφαλον. Κέφαλος. Κλεινόμαχος ἢ Λυσίας. Πολίτης. Περὶ ψυχῆς. Ηγός Γύλανον. Ἀριστικός. Τεχνῶν ἔλεγχος. ὑπομνηματικοὶ διάλογοι. Τεχνικόν. Διάλογοι τῶν περὶ τὴν πρᾶγματείαν δμοίων (libri decem.) διαιρέσεις καὶ πρὸς τὰ σώματα ὑποθέσεις. Περὶ γενῶν καὶ εἰδῶν παραδειγμάτων. Πλάτωνος ἐγκώμιον. Ἐπιστολαὶ πρὸς Δίωνα, Διονύσιον, Φίλιππον. Περὶ νομοθεσίας. Μαθηματικός. Μανδρόβουλος. Λυσίας. Όροι (quas definitiones nonnulli Platoni assignabant, in his etiam Causaubanus). Τάξεις ὑπομνημάτων. —

(2) Gellius noctes Att. III. 17. Aristotelem quoque traditum, libros pauculos Speusippi philosophi post mortem ejus emisse talentis atticis tribus; ea summa fit numeri nostri HS duo et LXX millia.

Diogenes Laert. IV. 5. ἐνδευτέρῳ ἀπομνημονευμάτων Φαβωῦνος φησὶν, ὡς Ἀριστοτέλης αὐτοῦ ταβιβλία τριῶν ταλάντων ὠνήσατο,

uno oculorum obtutu omnia Speusippi opera perlustranti mihi, et multum lucis ad Platonis philosophiam expoundendam una cum iis nobis perditum esse appareat, et magnam scientiae graviorisque doctrinae copiam in iis depositam fuisse persuadetur. Id quod illa praecipue, quae majore litterarum forma exprimenda curavi, opera indicare mihi videntur. De anima, Numeris, Generibus atque Ideis quaestiones maximi ponderis fuisse, verisimile est. Quod autem accuratam eorum curam et doctrinae diligentiam laudavi, id quum ex illo decem libros continente opere, tum etium ex eo colligo, quod apud Diogenem Laertium et Themistium de Speusippo narratur (1).

De vita et scriptis quum quae ut invenirem contigit, exposuerim: jam ad locos philosophiam ejus ipsam adumbrantes conferendos et tractandos accedo. Gravissima sunt, quae in libris VII, c. 2; XII. c. 6 et 7; XIV, c. 4 et 5 Aristotelis Metaph. et Libro I. c. 4. Ethicae Nicom.; tum quae apud Stobaeum (Ecl. physic. I. c. 3), et Ciceronem (De natura deorum I. c. 13) memoriae prodita sunt, Speusippum affirmasse: plures

(1) Diogenes Laertius IV. 2. οὐτος πρώτος (καθά φησι Διοδωρος ἐν ἀκομημονευμάτων πρώτῳ) ἐν τοῖς μαθήμασι ἐδεάσατο τὸ κοινόν, καὶ συνωκείωσε καθόσον ἣν δυνατὸν ἀλλήλοις, καὶ πρώτος παρὰ Ἰσοχράτους τὰ καλούμενα ἀπόρρητα ἔξηνεγκεν, ὡς φησι καινεύει.

The mist. in Aristotelis analyt. post. II. 24. (ed. Venet. 1542 p. 41). „Visum autem Speusippo est, utique non recte, eum qui definiturus sit, scire omnia oportere. Necessarium, inquit, est, omnes rei differentias teneri, per quas genus id, quod definire velis, a ceteris differat. Hoc nemo assequi potest, qui cetera non cognoscat.“

oὐστας et suum cuique esse principium; aliud corporibus extensis, aliud animae. Numero-
rum principium esse unum ($\tauὸ\; ἐν$). Quod, quum primum et principium atque causa demum solummodo, minime vero $\tauὸ\; τέλετον$ καὶ καλόν es-
set, Bonum esse, negabat Speusippus; sed potius in elementorum societate ($συστοιχίᾳ$) col-
locatam volebat boni ideam. Deum vim quan-
dam, eamque animalēm, qua omnia regantur;
animum ($ὑοῦ$) denique neque cum uno, neque
cum bono, quippe quae diversa essent, confun-
dendum docebat.

Quae totius Speusippi philosophiae, quatenus con-
servata nobis est, summa et quasi caput ut recte et ac-
curate aestimetur, ante omnia, quo cum Platonis doctrina
consensu cohaereat, videndum est. Nisi enim fundamen-
tum plane perspectum habueris, moles superjectas, in
parietinarum reliquiis ante te positas, bene et secundum
veritatem in annum revocare vana erit contentio. Mihi
igitur, ne temere difficultates excitasse, non autem su-
peratas timide deseruisse videar: ad ipsam Platonis phi-
losophiam descendere propositum est. Quod »pericula-
sae plenum opus aleae,« nisi Brandis et Trendelenburg
lucem ingenii et consilii praetendissent (1), me tironem
aditurum fuisse nunquam, gratissimo animo profiteor.

(1) Cf. Geschichte der Griechisch-Römischen Philosophie von Christian August Brandis, Zweiter Theil, Berlin 1844.

Platonis de ideis et numeris doctrina ex Aristotele illustrata,
Scripsit Fridericus Adolphus Trendelenburg. Lipsiae 1826.

De Platonis Philebi consilio. Friderici Trendelenburg.
Berolini 1837.

Itaque universam Platonis dialecticam quam paucissimis verbis, uno tenore hic proferre, re ipsa cogi me sentio. Ceterae ejus philosophiae lineamenta, ubi necesse erit, designabuntur.

IV.

Disquisitione toties et tam accurate a viris, in Platonis philosophia maxime versatis, jam instituta, nunc denuo instituenda — quia argumentum bene ab aliis tractatum repetere, immutatumque referre animi aut levioris est aut suis ipsius viribus diffidentis — eorum, qui legent, otium alii rei opportunius insumendum occupare, religioni duxi. Maxime equidem semper praesertim in rerum causis anquirendis modestiam retinendam censeo, sed ignaviam fugio. Itaque ut novum quendam campum aperiam, in quem excurram, judiciique liberi periculum faciam: Platonis philosophiam novo ex loco contemplari, et qualis mihi inde prospicienti videatur, enarrare ut licet exposco. Sententiae enim genesis, ut ita dicam, qua universa Platonis philosophia constat, inde ab ipso principio usque ad eum locum, quo philosophus noster in cursu suo constitit, deducere atque ita Platonis philosophiae quasi historiam designare, quam maxime cupio. Ut etiam accuratius rem, quae animo observatur, exprimam, mihi propositum est, Platonis placita, imprimis quae a Speusippo tractata erant, evolvere, atque ita evolvere, ut ea non modo intima et necessaria inter se conjunctione colligata habeamus, verum etiam ut ea in ipso nascendi momento et quasi partu in Platonis mente aspiriantur. Quam mentem in ipso concipiendi et creandi tempore intuentibus nobis etiam ille, qui ubique obtector

latet, modus et ratio appareat, necesse est, sine quibus sententiarum dissidii Platonem non accusare non possumus. Posuit enim ideas, posuit numeros, eorumque plura genera, posuit bonum et unum, dicit de Deo: — rationem viamque, qua ad ea intuenda venerit, reticet: magni instar artificis, qui artis monumentum hominum admirationi offert, laborum autem atque dolorum, sine quibus nihil magni, nihil sempiterni gignitur, etiam minima quaeque vestigia occultat. Cujus rationis Aristoteles nunquam ei veniam et impunitatem dedit; volebat enim, eum philosophum, non poetam esse.

At vero de nexu hoc ab Aristotele desiderato, quamvis in dialogis Platonis manifesto expressum non inventiamus, omnino desperare, minime fas est. Licet Plato ipse nodi illius, quo omnia ejus dogmata profecta fuerant, inscius sibi fuerit, id quod facile admitti potest; est tamen in tota philosophiae ejus structura et compositione una quasi anima, quae artus singulos omnes regit, conservat, quae iis vitam et vim et potestatem et illam aequabilitatem et concentum vere platonica tribuit, quae, dummodo ipsam animo comprehenderis, etiam illos tibi planos, evidentes et penitus perspicuos faciet. Est anima illa quidem ad intelligendum difficilis, quia neque locis, diagolisque singulis ante oculos proponi potest, neque notiones, quae ratiocinando eam exprimant, usquam inveniuntur. Unum et solum domicilium ejus universum Platonis ingenium est. Itaque minime, quae de Platone mihi videantur, rebus citandis et, si dicere licet, factis obtinebo. — Verumtamen totius doctrinae perpetuitas partiumque consensus in re hac vere dignoscenda valet plurimum. Ubi quam nihil firmum, nihil

evidens quasi norma atque modus recte judicandi statui possit: bene mihi animadversum est, quam pronus a veris et rectis ad errorem transitus sit. Itaque in re tam difficulti, si vel unam novam protulero sententiam, quam nec ratio convellet, nec extorquebit veritas, suscepto munere hand invita Minerva videbor esse perfunctus. —

Platonem a temporum ratione remotum, a philosophiae historia segregatum, tamquam patrimonium ad sapientiae aedem exstruendam a majoribus accepisset nullum, intelligere velle, animi levis est et imprudentis. — Est enim discipulus Socratis, cuius philosophiam in Platonis doctrina quasi fundamentum fuisse, quis est quin agnoscat? Cujus philosophiae laus et magnitudo eo potissimum constat, quod illum solitarium atque a rerum universitate sejunctum Anaxagorae intellectum in animo hominum domicilium habere, a Socrate declaratum est. Itaque factum est, ut numen illud divinum, sive rationem, sive intellectum, sive generalia appellare mavis, e loco illo summo, unde in omnia, quae creata sunt, dominabatur, jam ad hominis naturam descenderit, atque in animo ejus eo consilio considererit, ut fieret veritas, et bonum et εὐδαιμονία. Veritas in rebus ab homine cogitandis, bonum in agendis, εὐδαιμονία in utrisque conjunctis. — Άλλ' ο μὲν Σωκράτης τὰ καθόλον οὐ χωριστὰ ἐποίει οὐδὲ τοὺς ὄρισμούς. (Metaph. Arist. ed. Brandis. pag. 266.) Quod quamquam verum est, tamen boni rebus praesentiae jam limes in homine positus est (1). Jam igitur

(1) Sextus Empiricus Adv. Mathem. VII, 8. ἀπαρνεῖσθαι αὐτὸν (Socratem) τὸ φυσικόν, ὃς ὑπέρ ήμας καθιστηκός, καὶ μάνον σχολάζειν τῷ ἡδικῷ, ὃς περὶ ήμας ὄντι. Quae non ita

cogitatio mundum permanat, pervadit, penetrat, at permanatio haec nondum exacta nec (si dicere licet) ad extum perducta est.

Hujus omnium rerum ac corporum campaginis et universitatis ad ideam revocatae auctor Plato exstitit. A veritate et bono, quo homo regatur, etiam omnia quae sunt, et coelum et terram regi, bonum ubique quasi legem, finem, modum quandam interesse, in hac doctrina quasi in cardine omnis vertitur Platonis ratio, in qua Socratis philosophia, sane magis exulta, latiore sensu subacta, et ad omnia, quae ex ea necessario consequerentur, pulcherrime perducta dilucide appetit. Veritas etiam ad imos rerum creatarum orbes ac recessus descendit et totus mundus bono impletus est.

Duas Plato opiniones inter se contrarias praecipua in philosophiae loca obtinentes invenerit, quas ita in Sophista (ed. Steph. p. 246) adumbrat: *Oι μὲν εἰς γῆν ἐξ οὐρανοῦ καὶ τὸν ἀστέρα πάντα ἔλκουσι, ταῖς χερσὶν ἀτεχνῶς πέτρας καὶ δρῦς περιλαμβάνοντες. τῶν γὰρ τοιούτων ἐφαπτόμενοι πάντων, διεσχηματίζονται τοῦτο ἐΐναι μόνον ὁ παρέχει προσβολὴν καὶ ἐπαφήν τινα, ταῦτὸ σῶμα καὶ οὐσίαν ὁρεύμενοι. τῶν δὲ ἄλλων εἴ τις φησὶ μὴ σῶμα ἔχον εἶναι, καταφρονοῦντες τὸ παρόπαν, καὶ οὐδὲν ἐθέλοντες ἄλλο ἀκούειν.* Alteros igitur affirmare, ea tantummodo vere

intelligenda sunt, ut τὸ φυσικόν majus sit, quam quod ab hominis mente percipi possit: sed quia Socrates omnia in bono, hominis pectore inclusio, ut manifestum esset agendo ponebat, illud φυσικόν vero cognoscere minus expetebat, quippe quae cognitio sola cognitio, actione orba esset. Ceterum utcunque accipitur, Socratem rebus physicis non studuisse, testatur. Cujus rei documenta afferre possumus plura. At nihil attinet.

esse quae in rerum natura appareant, materia et firmitate corporum onusta: alteros ea, quae omni corpore atque materia meliora et superiora, intellectui soli ac cogitationi pateant. Est haec illa notissima materiae atque intellectus cultorum contentio. Hanc examinandam quum proposuisset sibi philosophus; in eodem dialogo, quid sit *είναι* et τὸ ὄν, quaerit. Quae quaestio natura ejus, quod non est, explanata persolvitur. Τὸ μὴ ὄν enim in quadam esse conjunctione cum eo quod est, demonstratur; si enim plane nihil esset, ne edici quidem posset. (Sophista p. 337 *τετόλμησεν* ὁ λόγος οὗτος ὑπόθεσθαι τὸ μὴ ὄν εἶναι.) Itaque τὸ ὄν atque τὸ μὴ ὄν non sunt plane inter se diversa, sed alterum alterius particeps est, ita ut τὸ μὴ ὄν quodammmodo sit. (Soph. p. 240 *καὶ διδυνέει τουτίην τινὰ πεπλέθαι συμπλοκὴν τὸ μὴ ὄν τῷ ὄντι, καὶ μάλα ἀποτον.* Et paulo post: ὁ σοφιστὴς ἡγάγων *ἴμᾶς τὸ μὴ ὄν οὐχ ἐκόντας ὅμολογεν* εἶναι πως). Ut igitur verbis Platonis ipsius utamur, exitum dialogi ita designamus: Genera inter se commiscentur, et τὸ ὄν atque θάτερον (sive τὸ μὴ ὄν) per omnia et alterum per alterum permanant; τὸ έτερον, quum τοῦ ὄντος particeps sit, ea ipsa communitate est; at minime est id, cuius particeps est, sed aliud quid (έτερον). Quod aliud quum aliud sit, atque τὸ ὄν necessario et evidenter τὸ μὴ ὄν est.« (Sophista p. 259 A.)

Itaque τὸ ὄν merum, simplex, ab alia natura, sibi opposita (quod τὸ έτερον seu μὴ ὄν est) segregatum nullo modo constare potest. Id quod Parmenides alia ex parte atque Sophista demonstrat. Hic enim magis veritatem: Parmenides necessitatem potius eorum, quae d clarantur, enucleat.

Tò ὄν nunc unum (τὸ ἔν) dicitur, cui θάτερον, quod jam in Sophista variam et pluralem quandam vim habebat, ut multa (τὰ πολλά) opponitur. Unum, si segregatum et a multis abstractum, extra omnem ad ea quae sunt rationem ponitur, plane sibi ipsi contrarium, neque ὄν, neque temporis particeps, neque aut cogitandum, aut cognoscendum, aut sensibus percipiendum, aut edicendum apparet, ita ut »οὐδαμῶς ἀριστερή τὸ ἔν« exclamare coactus sis (1). Si vero rebus diversis refertum, partibus constitutum cogitatur: tum demum est, et est unum, tum et cognoscitur et quavis ratione bene se habet (2).

Quibus bene stabilitis, etiam illud θάτερον (multa, ταῦλα) in disceptationem vocatur. Atque tota rei disquisitione finem habet simillimum illi, qui ex disputatione de uno consequebatur; namque multa ea solummodo conditione definitionis illius, secundum quam et constant et sensibus percipiuntur, dignitatem sustinent, si ut diversa quidem sed a conjunctione et communitate cum uno minime avulsa ponuntur. Si contra ab uno remota, dissentia, et per se cogitantur, permanent in illa ἀπειρότητι, quod eorum principium est. In qua quamdiu permanent, tam diu neque sunt vere, neque percipiuntur, et ne ea quidem sunt quae sunt (3).

Omnia, quae hactenus de eo, quod vere est, disputationata sunt, his verbis in dialogo extremo collecta habe-

(1) Parmenides ed. Steph. p. 139—141. εἰ ἀριστερή τὸ ἔν μηδαμῶς μηδενὸς μετέχει χρόνου, οὔτε ποτὲ γέγονεν, — οὔτε ἐστίν — Οὐδαμῶς ἀριστερή τὸ ἔν οὐσίας μετέχει. οὐδαμῶς ἀριστερή τὸ ἔν — καὶ — τὸ ἔν οὔτε ἔν, ἐστίν, οὔτε ἐστίν.

(2) Parmenides p. 142—155. — καὶ ἐκιστήμη δὴ εἴη αὖ αὐτοῦ καὶ δόξα καὶ αἴσθησις.

(3) Parmenides p. 157—158. (οὐδέ ἀριστερή πολλά ἐστι τὰλλα).

mus: ἐν, εἴτ' ἔστιν, εἴτε μὴ ἔστιν, αὐτό τε καὶ τὰλλα καὶ πρὸς αὐτὰ καὶ πρὸς ἄλληλα, πάντα πάντως ἔστι τε καὶ οὐκ ἔστι καὶ φαινεται τε καὶ οὐ φαινεται. Unum enim, quod est, utcumque cogitatur, alterius (*θαυμάζον*) naturam in se comprehendit, neque extra se positam habet (1); ita ut omnes determinationes, easque maxime contrarias sibi vindicet (2). Etenim (quum duplici natura compositum [uno atque multis], eoque ipso simplici qualitate superius sit) qua ex parte κατ' ἔξοχήν spectatur, ita terminatur; vere autem si definiri debeat, aut nullam, aut omnes ei qualitates tribuas, necesse est. Quod quomodo cogitari possit, Plato motu et quiete, uni simul vindicandis, plannissimum fecit. Motus et quietis differentia pro omnium reliquarum qualitatum differentia posita est, et quamquam inter se quidem discrepant et opponuntur, tamen quum ad τὸ ὄν referuntur, ad quod utrumque pertinet, tum quadam inter se vicissitudine cohaerent et conjuncta apparent (3). Ita τὸ ὄν et quietem et motum habere dicitur. Ubi quies illam meri, simplicis et unius naturam,

(1) Parmenides p. 157. οὐκοῦν ἐπεί περ ἀλλα τοῦ ἐνός ἔστιν, οὔτε τὸ ἐν ἔστι τὰλλα. οὐ γάρ ἂν ἀλλα τοῦ ἐνός ην. Οὐδέ μὴν στέρεται γε παντάπασι τοῦ ἐνός τὰλλα, ἀλλὰ μετέκει πῃ.

(2) Parmenides p. 155. τὸ ἐν εἰ ἔστιν, οἷον διεληλύθαμεν, ἃρ οὐκ ἀναγκὴ αὐτό, ἐν τε ὅν καὶ πολλὰ, καὶ μῆτε ἐν μῆτε πολλὰ, καὶ μετέχον χρόνου, ὅτι μέν ἔστι ἐν, οὐσίας μετέχειν ποτέ, ὅτι δ' οὐκ ἔστι, μὴ μετέχειν αὐτὸν ποτὲ οὐσίαν.

(3) Cf. Brandisii Geschichte der griechischen Philosophie. 2ter Band p. 213—218. „Bewegung und Ruhe einander entgegengesetzt haben demnach gleicher Weise am Sein Theil, das für sich genommen weder als ruhend noch als bewegt zu setzen ist, d. h. einer über jenen Gegensatz hinausliegenden Sphäre angehört.“

quae in τῷ ὄντι interest, spectat; motus contra ad illa τάλλα, θάτερον, τὸ μὴ ὄν refertur. Quae duae τοῦ εἶναι partes sive modi quum disjuncti non exstant (1): summo jure etiam Plato dicere poterat: τὸ ὄν κατὰ τὴν αὐτοῦ φύσιν οὐτε ἔστηκεν, οὐτε κινεῖται (Soph. p. 250).

Et melius sane fuit dicere ἔστηκέ τε καὶ κινεῖται, quam solum ἔστηκεν, aut solum κινεῖται, quae qualitates, altera sine altera, una ex parte tantummodo τοῦ ὄντος naturam tangunt.

Totam hanc de uno et eo, quod est, disquisitionem — sive eam praeparationem ad philosophiam, ut non-nulli volunt, sive demonstrationem idearum doctrinae accipimus — hanc ob causam distinctius adumbravi, quia hic optime manifestum fit, qualis potestatis et naturae Plato id, quod vere esse putaret, cogitatione sibi finxit. Maximum igitur et gravissimum, quod teneamus, est, ut neque id, quod est, sine illo, quod non est, neque id, quod non est, sine eo, quod est, disjunctum et per se quodque positum constare posse, intelligamus, sed alterum ab altero requiri et contineri. Eadem ratio etiam inter unum et multa intercedit. Quibus explicatis ad ideas jam ipsas adducimur. Quum enim

(1) Ibidem p. 256—258. Der Begriff des Eins, in seiner vollen Abgezogenheit gedacht, eben sowohl in der Voraussetzung seines Seins wie seines Nichtseins, erweist sich als weder in der Vorstellung noch im Denken festzuhalten. Et quae sequuntur. — Wie hier das schlechthinnige Nichtsein des Eins und des Eins in seinem abstracten Fürsichsein, so hatte im Sophistes das schlechthinnige Nichtsein überhaupt sich als undenkbar und nicht auszusprechen ergeben . . . , woraus die Hoffnung hervortrat, dass, möge nun das Sein oder das Nichtsein ans Licht gezogen werden, das andere zugleich mit klar werden müsse.

ideis solis stabilitatem et veritatem assignaret Plato, easque solas vere esse affirmaret, fieri non potuit, quin iis etiam omnes, quas τῷ ὄντι et ἐντὶ inesse videret, qualitates tribueret. — Qua ratiocinatione ego eo adductus sum, ut, censuisse Platonem praeter ideas nihil neque exstare, nec verre esse, contendam. Quam sententiam haud alienum videtur argumentis et rationibus confirmare. —

V.

Ideas Plato jam ab initio in philosophiam suam invectas, tamquam et aliquo datas accepisset, habet et docet; quo fit, ut quas et quales eas cogitaverit et quae ratione ad res, quae in sensu cadunt, eas retulerit, distincte et accurate declarare difficillimum sit. Neque enim eas ante oculos nostros construit, et fere translationibus utitur (1), quas pro sua quisque indole et arbitrio interpretatur. — Saepissime et quasi celebrato usu eas tamquam παραδείγματα rerum singularum, mutationi obnoxiarum ponit, ita ut res multae ἔκπνη (Rp.) imitationes idearum sint. Ubi μέθεξιν inter utrasque semper quidem agnoscit et, quasi vinculo, conjungit. Quum at tamen haec μεθέξεως vox laxiorem rerum conjunctionem designare videatur: facile factum est, ut Plato a plerisque, tamquam ideas a rebus diremisset, ideisque talibus remotis solis veritatem tribuisset, minus recte intelligeretur. Id quod neque philosophiae ejus universae inge-

(1) Arist. Metaphysica I. pag. 30 v. 7 sqq. (τὸ δὲ λέγειν παραδείγματα αὐτὰ εἶναι — ἐστὶ μεταφοράς λέγειν πουτίνας).

nium, neque temporis ac rerum (est enim Socratis discipulus) conditio permittere mihi videtur. Evidem quum Platonem plus, quam plerique volunt, rebus tribuisse censem: *μεθέξεως* voci majorem a Platone, quam alibi potestatam datam esse, idea autem conjunctionem potius multorum et unius quam solam unam ideam, cuius res participes tantummodo sint, significari intelligo. — Neque tamen ab usitata rei hujus intelligendae ratione me plane abhorrese, sed aliquantulum me adjicere, paucissima mutare, finis commentationis hujusce satis demonstrabit. — Summa rei in eo posita est, ut ideam accurate perspiciamus, atque (quod longe gravissimum), ingenium et consuetudinem Platonis quam diligentissime respicientes costruamus. Ita et philosophi vices quodammodo explebimus: et lucis aliquantulum toti huic rei affundemus.

Ut Socrati, ita etiam Platoni totam hanc rerum universitatem in fine et per finem (*τέλος*) constare et conservari, exploratum est. Exstitit, ut finem exprimeret; vivit quia finis ei inest; quia et creatur et regitur fine, idcirco ordinis et rationis plena, et vere mundus est (*κόσμος*). Ita dum divinum quiddam mundo tribuunt, summam doctrinae sua laudem et amplitudem comparant. At Socrates, ut dictum est, quum finem hunc in homine reposuisset et genus humanum, veritatis particeps, bonum (quod nihil aliud est, quam finis ille) assequi cognovisset: jam longius procedere non ausus est. Plato vero finem illum per totum mundum perduxit, et ita quidem perduxit, ut suum rem quamque finem habere appareat.

Nunc igitur, quamvis rem eligas; sive magna

sive parva est, per suum finem et exstitit et conservatur. Primo itaque Platoni mundum ut ita aspiceret contigit, ut cognosceret esse illam conjunctionem rerum quarum unaquaeque sui juris esset (Selbstzweck), suum quaeque finem exprimeret, ad eum solum referretur, ut vere finita, sibi ipsi sufficiens, totum mundum quodammodo sua forma exprimens, pars mundi(1). Quae rerum universitatis in partes singulas, individuas, quae sui causa sunt, partitio et Graeciae et artificis ingenio (quod quis est, quin Platoni tribuat?) optime accommodata est. Quemadmodum non Helladis, sed Spartanorum, Atheniensium, Achaeorum, aliorum res elare gestas accepimus: nec ullum artium bonarum monumentum quid sibi velit, nisi per se ipsum et ex ipso, aliunde licet conjicere: ita etiam Plato totam rerum creatarum societatem in innumerabiles orbes dissolvit, quorum per se unicuique constantis rei dignitatem vindicavit. Qua ratione opus sane magnum et grave exegit, at etiam in difficultates, quibus omnis antiquitas laborat, incidit. Hac enim mundi in multos orbes dissolutione omnis conjunctio et relatio orbium quum inter se, tum praecipue ad illud, quo profecti sunt, unum et totum, si non in-

(1) cf. Aristotelis Metaphys. I. p. 28. οἱ δὲ τὰς ἴδεας αἰτίας τιθέμενοι πρῶτον μὲν ἡγητοῦντες τωνδὶ τῶν ὄντων λαβεῖν τὰς αἰτίας ἔτερα τούτοις ἵσα τὸν ἀριθμὸν ἐκόμισαν, ὥσπερ εἴ τις ἀριθμῆσαι βουλόμενος ἐλαττόνων μὲν ὄντων οὕτοι μὴ δυνήσεσθαι, πλειώ δὲ ποιήσας ἀριθμοῖη σχεδὸν γάρ ἵσα η̄ οὐκ ἐλάττω ἐστὶ τὰ εἴδη τούτων, περὶ ὧν ἡγητοῦντες τὰς αἰτίας ἐπ τούτων ἐκ' ἐκεῖνα προσῆλθον. παλ' ἐπαστον γάρ δύσωνυμόν τι ἐστι, καὶ παρὰ τὰς οὐσίας τῶν τε ἀλλων ὧν ἐστὶν ἐν ἐπὶ πολλῶν, καὶ ἐπὶ τοῖςδε παιὶ ἐπὶ τοῖς ἀιδίοις.

fringitur, at certe obscurior et incerta fit. Ita etiam factum est, ut Plato idearum rationem inter se desiderans, ad numeros confugerit, de quo, ne quid praeoccupemus, alio loco exponetur.

Res tales, quas per se et sui causa esse diximus, genera sunt. Generis notio (1), qui generis finis est, omnia, quae in genus cadunt, exemplaria continet et complectitur; gignit et conservat; et invicem, nisi per illa, non exprimitur; ni autem exprimeretur, neque potestatem neque veritatem haberet. Exempla, tempori et mutationi perpetuae obnoxia, fluctuant, oriuntur et evanescent: contra generis notio semper in iis eadem, tempore superior, aeterna permanet. Utraque demum vero, et exemplaria omnia, et generis notio, in unum comprehensa, genus efficiunt.

Hujusmodi genera Plato εἰδη, αὐτό, αὐτὸ καθ' αὐτό (2), αὐτὸ ἐκαστον, αὐτὸ ἐν ἐκαστον nominavit (3), nonnunquam etiam ὕδαις — ubi sensu minns proprio mihi videntur esse positae. De quo τῶν εἰδῶν atque ὕδαιν discrimine quid sentiam, postea exponam; — ante omnia, Platonem verbis εἰδη et γένη idem intellexisse, demonstrandum est. Nusquam dilucide et plane declaratum habemus, quarum rerum ideae agnoscantur. In qua quaestione difficultates eo majores suboriuntur, quod

(1) Hanc generis notionem ego ita posui, ut sit natura prior, quam generis species, quae ea designatur. Si igitur more solito notio a sensuum evidentia avocata et a rebus demum et nascentibus et intereuntibus petita accipitur: hoc ὡς πρὸς ἡμᾶς ita esse arbitror, cf. Trendelenburg: De Platonis Philebi consilio p. 18.

(2) Phaedo p. 78 D. p. 65 E.

(3) De Republica V. p. 476 A.

et minimarum et maximarum rerum ideae statuuntur. Id quod jam Aristoteles Platoni éxprobravit (Meph. p. 267) νέτι καθ' οὓς τρόπους δείκνυται ὅτι ἔστιν εἰδη, καθ' οὐθένα φαίνεται τούτων ἐξ ἑνίων μὲν γὰρ οὐκ ἀνάγκη γίγνεσθαι συλλογισμόν, ἐξ ἑνίων δὲ καὶ οὐχ ὡν οἴονται τούτων εἰδη γίγνεται.«

Est in dialogo, qui inscriptus est Parmenides, locus quidam (p. 130), qui nobis, hac quaestione occupatis, aliquid lucis dare poterit. Parmenides Socratem, qui in rebus, quae ibi φαντάτα τε καὶ ἀπιμότατα (οἷον θρῆνος καὶ πηλὸς καὶ φύνος) dicuntur, ideas agnoscere cunctatur, vituperat atque, si plus in philosophia profecturus sit, ut esse etiam talium rerum ideas statuat, asseverat. Quae nisi temere dicta esse vis, nihil aliud, si quid video, indicant, quam hoc: unamquamque rem, etsi minima sit, dummodo per se et sui causa, ergo dummodo genus esse accipiatur, suam propriam habere ideam. Quodsi enim philosophi cuiusque est, res etiam minimas plane dignoscere; si pluris aestimari debet is, qui quantum ad magna, tantundem ad minimum quodque curae confert, quam is, qui minoribus neglectis, majorum modo naturam tetigit: jam cur Parmenides dixerit, Socratem, si in philosophia profecturus esset, istorum etiam ideas admissurum, luce clarius appareat. Rem enim cognoscere (1) idem est, quod agnoscere, ex illa obscuritate, qua ignota aut oblivioni data premitur, eruere; in digniorem locum reponere; et quasi manu mittere; aliis verbis; eam sua notione refertam, generi adnumerandam, et genus efficientem, aut certe exprimentem

(1) cf. Aristot. Metaph. I. 9. κατά τε γὰρ τοὺς λόγους τοὺς ἐκ τῶν ἐπιστημῶν εἰδη ἔσται πάντων ὅσων ἐπιστῆμαί εἰσι.

declarare. Ergo res, quatenus genus suum exprimit, ideam habere dicitur; sive, genus idem est atque idea (*εἶδος*).

Quae ut defendantur, locos per dialogos passim sparso graviores, qui quidem opinionem meam γένη et εἶδη idem esse videantur posse ḥueri, conferre liceat.

De Republica X. (ed. Steph. p. 596 A.) εἶδος γὰρ πού τι ἐν ἔκαστον εἰώθαμεν τίθεσθαι περὶ ἔκαστα τὰ πολλὰ οἵς ταῦτὸν ὄνομα ἐπιφέρουμεν. Ubi pro εἶδος eodem jure γένος ponere possimus. De Rep. IX. p. 585 B. πότερα οὖν ἡγεῖται γένη μᾶλλον καθαρᾶς οὐσίας μετέχειν. Hic pro γένη optime dici potest εἶδη, quibus quis est, qui nesciat, praedicamenta καθαρόν, ἀπλοῦν, μοροειδές, εἰλικρινές fere adjungi? Phaedo p. 79 A. — Diogene Laërtio teste (lib. IV. c. 14), Xenocrates scripsit librum περὶ ἴδεων et alium περὶ γενῶν καὶ εἰδῶν, ergo non modo ίδεας et εἶδη distinguebat, sed etiam εἶδη et γένη eodem libro simul explicabat. Phaedrus. p. 249 B. δεῖ γὰρ ἀνθρωπον ξυνιέναι κατ' εἶδος λεγόμενον, ἐκ πολλῶν λογισμῶν διειλόμεθα, τοῦ δὲ τρίτου ἄλλο γένος ήμεν δηλωτέον ita εἶδος et γένος synonyma esse liquet.

Timaeus p. 51 C. ἀρ' ἔστι τι πῦρ αὐτὸν ἐφ' ἔαντοῦ, καὶ πάντα περὶ ὧν ἀεὶ λέγομεν οὗτος αὐτὰ καθ' αὐτὰ ὄντα ἔκαστα.

Quibus locis allatis, jam obtinere nobis videmur, Platonis εἶδος nihil nisi genus esse, comprehensionem omnium generis notarum in unam notionem atque definitionem, quae per omnia, quae sunt et erant et erunt, exempla vivit et permanat. *Eἶδος* itaque conjunctio est

omnium singulorum exemplorum, atque illius, cuius causa orta sunt, finis, quae eadem lex, atque forma eorum est, quae licet unumquodque exemplum specie sua designet, a nullo eorum tamen singulari, sed ab omnibus exemplis, quae sunt, erant et erunt, si in unum mente comprehendenteris, perfecte et aequabiliter exprimitur. (1)

Jam quae de uno et eo quod est supra exposita sunt, in memoriam revocanda sunt. — Unum illud quod vere est ita definitum est, ut habeat unius, aeterni, vereae essentiae; simplicitatis et immutabilitatis naturam quam artissime conjunctam cum potestate omnium eorum, quae ad multa et τὸ μὴ ὄν pertinent, (veluti motus, mutationis etc.). Hujusmodi esse Plato solis ideis (*εἰδεστ—ἰδεῖς* nondum attingimus —) assignat, quae omnibus τοῦ ἔρως et ὄρτος conditionibus omni ex parte satisfaciunt. In continua exemplarium quasi rotatione eadem semper probatur lex, quae quasi forma primaria totius generis (*παράδειγμα*) est, ita ut — dum species ex illa indeter-

(1) cf. Kant. *Kritik der reinen Vernunft*. (Siebente Auflage 1828 p. 271): „Nicht bloss im Sittlichen, sondern auch in Ansehung der Natur selbst sieht Plato mit Recht deutliche Beweise ihres Ursprungs aus Ideen. Ein Gewächs, ein Thier, die regelmässige Anordnung des Weltbaues zeigen deutlich, dass sie nur nach Ideen möglich sein; dass zwar kein einzelnes Geschöpf unter den einzelnen Bedingungen seines Daseins mit der Idee des Vollkommensten seiner Art congruire (so wenig wie der Mensch mit der Idee der Menschheit, die er sogar selbst als das Urbild seiner Handlungen in seiner Seele trägt), dass gleichwohl jene Ideen im höchsten Verstande einzelne, unveränderlich, durchgängig bestimmt und die ursprünglichen Ursachen der Dinge sind, und nur das Ganze threr Verbindung im Weltall einzige und allein jener Idee völlig adäquat sei.“

minata ἀπειρότητα (materia, quae ex sententia Platonis nunquam aspici nec cogitari nisi per syllogismum potest) ab illa generis potestate per omne tempus, magno numero ad lucem promuntur — ab omnibus tamen semper unus et idem oriundi modus observetur. Illae perpetuo fluctuant, mutantur, moventur: hic immotus stat, nec temporum aut mutationis patitur vicissitudines (1). Totum autem, quod utrumque complectitur, εἶδος neque movetur, neque immobile quiescit, sed vivit et manifestum fit, ita tamen, ut unum et idem semper permaneat. Quodsi plerique in eo consentiunt, Platonis ideam et quietem et motum conjuncta complecti: etiam opinionem meam probent, omnino necesse est; si enim, quae dicunt, intellecta et plane perspecta habere vident, aliter ideam cognitione sibi non fингent. Ita demum liquet, ideae quomodo a Platone cognitionis et rerum veritatis principia dicta fuerint. Ut enim habeamus, quae quasi cognitionis problemata (Objecte des Wissens) ab intelligentia comprehendantur: — in Theaeteto simplicia, intellectui soli, minus sensibus et cognitioni (Vorstellung) patentia requiruntur principia. Eadem describuntur in Sophista ut mutationum quarumque principia, quae licet eas efficiant, minime tamen ab iis tanguntur; ita ut, nisi ea teneas, ne res quidem dignoscere possis. Quibus conjunctis, homini a Platone ante omnia tamquam primum et gravissimum munus injungi videmus, ut expetat cognitionis principia, quae eadem sint mutationum principia.

(1) Parmenides p. 131 B. ἐν ἀρχαῖν, καὶ ταῦταν ἐν πολλαῖς αἱ κωρίς οὐσιῶν δύον ἀμα ἐνέσται.

Quae principia ideas eum esse voluisse, non dubium est. Ideas autem si non tales statuemus, quales ego τὰ εἰδη construendo significare conatus sum: semper difficultatis et obscuritatis laqueis impliciti tenebimur, e quibus quo alio modo expediamur, jam plane non video. Εἶδος enim, quale ego posui, Platonis explicationi optime respondet. Est totum, in se omni ratione finitum; quum mutationis principium tum cognitionis conditionem in se ipso includens. Alterum ni includeret: speciei cujusquam initium exitusque extra generis orbem caderet, id quod fieri non potest; cognitionis vero conditionem ea de causa ei vindico, quia, nisi generis notio et totum cognitum est, ne species quidem singularis plane perspicitur. (1)

VI.

Itaque in hac idea Platonis οὐσία posita est. Cujus intima natura et compositio, si Philebi rationem habemus, hujusmodi est, ut πέρας sit illa, quam supra tractavi, generis uotio; ἀπειρον' vero illa, ex qua proficiscuntur species singulae, materia; tertium autem illud ἐξ ἀμφοῖν τούτοιν ἐν ἔνμυσιγόμενον totum genus cum omnibus, quae fundit, exemplis. Cui essentiae si Aristotelis οὐσία comparanda adhibetur: manifesto liquet, quanto longius in rerum veritate ad sententiam et intelligentiam revocanda

(1) Parmenides p. 135. B. εἴ γέ τις μὴ ἐάσει εἴδη τῶν ὄντων εἰναι, εἰς πάντα τὰ νῦν δῆ καὶ ἄλλα τοιαῦτα ἀκοβλέψας, μηδὲ τι δριεῖται εἴδος ἐνὸς ἐκάστου, οὐδὲ ὅποι τρέψει τὴν διάνοιαν ἐξει, μὴ ἐών ἰδέαν τῶν ὄντων ἐκάστου τὴν αὐτὴν ἀεὶ εἰναι, καὶ οὕτω τὴν τοῦ διαλέγεσθαι δύναμιν παντάκασιν διαφέρει.

Aristoteles processerit. Aristoteles enim ab unoquoque exemplari et specie quaque generalem notionem satis exprimi et repeti docet, ita ut ille primus sit, qui individuis quibusque dignitatem, quam exinde habent, tribuerit. Platonis ἀπειρον est Aristotelis ὕλη. πτέρας — εἶδος. μῆξις denique Aristotelis οὐσία, ὁρ, id est res sive animans individua, determinata, singularis quidem, sed genus generisque formam perfecte repetens, atque vera ἐντελεχείᾳ effingens et perficiens. Platoni contra omnibus, quae gignit genus, exemplis opus erat, ut notionem et generalem formam exaequarent (1); in qua re discrimen, quod intercedit inter Platonem atque Aristotelem, maxime situm est. Quae omnia etiam effecerunt, ut Plato praeter totam, qua procedebat et qua non procedere non poterat, philosophandi viam atque rationem, praeter haec omnia, quae hactenus exposui et quorum vestigia in dialogis omnibus manifesta apparent; praeter illud et rerum universitatem et genus humanum illustrandi et nobilitandi studium, quod apud eum ubique conspicitur — sive respicis mundi in Timaeo divinam naturam et originem: sive libros de Republica, hominisque et civitatis propinquitatem; sive unam et eandem in Phaedro animarum humanarum priusquam natae sunt et deorum conditionem, immortalitatem in Phaedone; in Menone ἀνάγνωσιν; mentis similitudinem eandemque corporis in homine atque mundo in Philebo — ut praeter haec omnia dico, quae Platonem inter homines, sententiis solis omnem et veri-

(1) Cf. quae in Sympos. p. 211 et 212 dicuntur. Propterea etiam, rem (id est exemplum singulare) finem nunquam assequi, declaravit.

tatem et stabilitatem tribuentes, collocari non patiuntur, imo quae potius eum veritatis ac boni potestatem et praesentiam in mundo satis respexisse, graviter indicant; — philosophus noster magis notionum et sententiarum a rebus segregatarum doctrinae deditus esset (quem nos idealismum dicimus), quam illi, quam adumbravimus et ex qua profectus erat, disciplinae. Quae ut plana fiant, ad *εἰδος* revertamur, idque contemplemur accuratius.

Εἰδος est complexio generis notionis et generis exemplorum omnium, et eorum igitur, quae erant, et quae sunt, et quae erant. Ita, ut nunc descripsi, neque oculis adspici, neque in sensus omnino cadere potest; sed tantummodo mente et intelligentia concipitur. Nullo modo enim generis species, sive exempla, ubique dispersa et dissipata, nedum illa, quae olim fuerunt, neque amplius sunt, aut quae nondum sunt, sed exorientur aliquando, in unum congeri possunt, ut simul omnes — totum quasi genus — uno oculorum obtutu lustrentur, atque se in rerum veritate exstare, sensibus probare possint. Sed nonnulla tantummodo, aut unum generis exemplum sensibus percipitur: reliqua vero, atque generis notio, quae ex illo, quod adspicitur, singulari exemplo obscurius modo conjici potest, ab intelligentia et animo additur, quo juvante, aut potius quo solo auctore genus aut *εἰδος* nobis observatur. Ita fit, ut *εἰδος* neque exemplis in rerum natura exprimatur (nunquam enim omnia, quae ad genus pertinent, simul exstant, itaque generali definitione inferiora sunt), neque alio modo sit; sed hanc unam et solam existendi facultatem ac libertatem habeat, ut cogitetur ab aliquo, atque ita rei, quae vere exstat, di-

gnitatem in mente et intelligentia alicujus assequatur (1). Ita mens τόπος εἰδῶν optimo jure, ut mihi videtur, a Platone dici potuit (2); quae εἴδη, mente repositae, (subjective, gewusste Ideen) et jam quasi τῶν εἰδῶν images et formae jam ἴδεαι nominantur (angeschaute Begriffe), essentiae. Substantias τὰ εἴδη potius significare puto.

Haec sunt, quae ego de discrimine, quod est inter εἶδος et ἴδεαν, sentio. Tantum autem abest, discrimin hoc ut a Platone semper observatum esse contendam, (ita enim si statuerem, primus quisque dialogus conficta pro veris me venditare argueret), ut ne cogitasse quidem Platonem nec planum sibi unquam fecisse, quid inter εἶδος et ἴδεαν interesset, videre mihi videar. Etenim duas illas notiones si distinete discretas et praecise explicatas habuisset, id neque reticuisse, neque promiscue utens, tam saepe eas confudisset. Attamen adversus haec omnia, si non plane perspectum fuerit, at obser-vatum Platoni illud discriminem suis, minime affirmare dubito; et εἶδος solito et frequentissimo usu apud Platonem genus et originem: ἴδεαν contra rei formam et notionem magis respicere, ante me alii, iisque Platonis philosophia maxime imbuti viri, quorum inventa mihi tribuere nolo, sed quorum auctoritate tantummodo me tueor, bene intellexerunt. — Minime igitur de eo agitur, semperne εἶδος atque ἴδεα ea, quae nos utrique as-

(1) Sympos. 211. E.

(2) Aristoteles, de anima III, 4, καὶ εὐ^τ δὴ οἱ λέγοντες τὴν ψυχὴν εἰναι τόπον εἰδῶν . . . ubi Platonem spectari Tredelenburg arbitratur (cf. De ideis et numeris doctrina p. 45.)

signaverimus, exprimat: sed potius utra utri potestas et vis saepius et constantius tributa fuerit. — Eodem modo objicere aliquis possit, haec omnia, quae de idea in generibus et rebus reposita ($\varepsilon\tilde{\iota}\delta\sigma\varsigma$) disseruerim, numquam a Platone dici, itaque haec non Platonis sed mea ipsius commenta esse. Cui equidem primum hoc opposuerim: etsi non iisdem verbis a Platone dicantur, inde omnino a Platone non dici, minime consequitur; tum, etsi non dicantur, dummodo non repugnant, sed Platonii placitura fuisse videantur, jam satisfactum rei propositae arbitror; denique: quodsi me vanam operam suscepisse putas, quae ad Platonem recte aestimandum neque conferat neque utilis sit: at ego quomodo Plato sibi optime constaret, demonstrare, ideasque ejus penitus intellectas et perspectas habere certe volui. Quae, nisi vidissemus quomodo ideae construerentur, alia via atque ratione ad exitum perduci non poterant; si quidem verum est: scire, quomodo aliquid fiat, id demum est, intelligere, quidnam sit (1).

Ante oculos nostros Plato ratione et modo quam simplicissimo ideas ex rerum conjunctione et societate exemit, exemptas in mente divina (quae sola perfecta et omnibus numeris absoluta genera aspicit) reposuit, repositis veritatem summam assignavit (2). Ita transitum

(1) Trendelenburg. De ideis et numeris doctrina p. 37.

(2) Totum igitur discrimen inter $\varepsilon\tilde{\iota}\delta\sigma\varsigma$ atque $\iota\delta\varepsilon\alpha\varsigma$ in eo situm est, ut $\varepsilon\tilde{\iota}\delta\sigma\varsigma$ sit genus exempla, forma sua consignata, fundens et conservans, itaque potestatem et vim exercens, ergo extans, neque tamen ut totum evidenter extans, neque cognitum a quoquam. $\iota\delta\varepsilon\alpha\varsigma$ vero idem est, at jam a Deo ut potestatis et veritatis plenum genus cernitur. Quo igitur puncto $\varepsilon\tilde{\iota}\delta\sigma\varsigma$ a Deo

ad Platonem a Socrate ipsi paratum vidimns; neque nobis, quae inter res atque ideas aeternas (quas Aristoteles Metaph. I. 6. pag. 20. παρὰ τὰ αἰσθητά haud ambigue explicat) intercedit, ratio amplius obscura esse potest. Nunc et μέθεξις illa, cuius naturam Platonem non exposuisse, Aristoteles (1) arguit, intellectu facilis; et omnes aliae vituperationes, quae eodem jure Platoni fieri, quo excusari poterant, recte a nobis aestimabuntur. Quorum omnium cognitio nobis hoc solo facilior facta est, quod distincte et articulatim, quomodo ideae in rebus radices agant et capiant, demonstratum est, ita ut et in rebus inhaerescant, et in mente sola veram et se dignam sedem habeant (2).

cerni et cogitari incipit (quod ὡς πρὸς ἡμᾶς dictum esse accipias) idea fit. — Dicuntur etiam a Platone ideae rerum, quae genus propria significatione non efficiunt, velut rerum hominis manu factarum, iuti, aliorum. At et haec quidem unum et idem diversis modis repetunt, ita ut omnium unam generalem formam, et quasi generis notionem statuere oporteat. Cf. Aristot. Metaph. pag. 267.

(1) Metaph. I. 6. p. 20. τὴν μέντοι γε μέθεξιν η̄ τὴν μίμησιν, τῆς ἀν εἴη τῶν εἰδῶν, ἀφεῖσαν εὐ κοινῷ ζητεῖν.

(2) Locos nonnullos, qui idearum rationem explanant, apponere lubet.

Idea dicitur Modus; Finis; Lex, secundum quam μίξις fit; Παραδειγμα (Parmenides p. 132. D.). De Rep. L. VI, c. 17. καὶ τὰ μὲν δὴ δρᾶσθαι φαμὲν, νοεῖσθαι δ'οὖ, τὰς δ' αὐτὰς ιδέας νοεῖσθαι μὲν, δρᾶσθαι δ' οὖ. Phaedrus p. 247. C. η̄ γὰρ ἀκρωματός τε καὶ ἀσχημάτιστος καὶ ἀναρψὶς οὐσία ὄντως οὐσία ψυχῆς κυβερνήτη μόνη φεατῇ νῷ χρῆται. Symposium, 211. E. ἀμικτον dicitur. In Phaedone res nunquam ideam exaequare, atque illa inferior esse declaratur. Adde quae Aristoteles de ideis tradit: Metaph. p. 266. Ἀλλ' ὁ μὲν Σωκράτης τὰ οὐδόλου οὐ κωριστὰ ἐποίει οὐδὲ τοὺς δρισμούς. οἱ δ' (Plato) ἐκώρισαν, καὶ τὰ τοιαῦτα τῶν ὄντων ιδέας προσηγόρευσαν. Ibid. p. 20.

VII.

Quae quum pertractaverimus, adjiciendum etiam est, quibusnam elementis (*στοιχείοις*) ideae compositae sint. Quaestionem hanc accuratissime persolvit jam T rende-

τὰ μὲν οὖν τοιαῦτα τῶν ὄντων ἴδεας προσηγόρευσε, τὰ δὲ αἰσθητὰ παρὰ ταῦτα καὶ κατὰ ταῦτα λέγεσθαι πάντα. Phys. III. 4. Πλάτων δὲ οὐδὲν εἶναι σῶμα οὐδὲ τὰς ἴδεας διὰ τὸ μηδέ πον εἶναι αὐτάς. Phys. IV. 2. Πλάτωνι μέντοι λεκτέον, διὰ τί οὐκ ἐν τόπῳ τὰ εἴδη καὶ οἱ ἀρχμοί

Adversus haec omnia, quamvis sine materia sint ideae, atque a rebus segregatae, causae tamen rerum habentur. Arist. Metaphys. I. 6. p. 20. ἐπεὶ δὲ αἴτια τὰ εἴδη τοῖς ἀλλοις, τάκεινων στοιχεῖα ὀπάντων ὥδη τῶν ὄντων εἶναι στοιχεῖα. Ibid. p. 269. Μ. ἐν δε τῷ Φαιδρων τοῦτον λέγεται τὸν τρόπον ὃς καὶ τοῦ εἶναι καὶ τοῦ γίγνεσθαι αἴτια τὰ εἴδη εἶναι.

Id quod nos, idearum atque rerum ratione intellecta, minime offendit.

Ίδεαι sunt enim perfecta cognitione perspecta εἴδη, sive εἴδη quatenus a Deo cogitantur aut potius cernuntur. Quae εἴδη quum omnium generis exemplorum singulorum causae et fines sint, ergo etiam ἴδεαι causae atque fines sunt. Namque τοῦ εἴδους natura minime privantur, itaque finem et rationem, cur res fiat, in se habent. — Aristoteles vero, qui ut judex severus et strenuus ea solum recepit, quae Plato dicebat; minus, quae in universa ejus philosophia tectius latebant: multis locis obloquitur, e. c. Metaph. M. p. 269. ἐπειδόξειν ἀνὴρ ἀδύνατον χωρὶς εἶναι τὴν οὐσίαν καὶ οὐ η̄ οὐσία. ὅποις τῶς ἀνὴρ ἴδει οὐσία τῶν πραγμάτων οὐσιαὶ χωρὶς εἰεν , καίτοι τῶν εἰδῶν ὄντων δικιαὶ οὐ γίγνεται [τὰ μετέχοντα p. 30], ἀνὴρ η̄ τὸ κυρῆσον. Ibid. p. 268. Πάντων δὲ μάλιστα διαπορῆσειν ἀνὴρ τις τί ποτε συμβάλλονται τὰ εἴδη η̄ τοῖς αἰδίοις τῶν αἰσθητῶν η̄ τοῖς γιγνομένοις καὶ τοῖς φραισομένοις. οὔτε γάρ κυρήσεώς ἔστιν οὔτε μεταβολῆς οὐδεμιᾶς αἴτια αὐτοῖς. ἀλλὰ μήν οὐδὲ πρός τὴν ἐπιστήμην οὐδὲν βοηθεῖ τὴν τῶν ἀλλων. οὔτε γάρ οὐσία ἐκεῖνα τούτων (ἐν τούτοις γάρ ἀνὴρ η̄) οὐτὲ εἰς τὸ εἶναι μὴ ἐνυπάρχοντά γε

lenburg, ita ut nos, ne acta agamus, exitu et summa rei tantum appositis, ad librum ejus volentem quemque remittamus. Ante tamen propriam nostram rationem sequutis, quae idea contineantur, ostendere liceat. — Ut ὁρ ita εἰδος et ιδέα (paene enim eadem sunt) duplicitem naturam eamque diversām complectitur, qua tamquam elementis efficitur et composita est. Dico illud solitarium unum et ὁρ, atque τάλλα et μὴ ὁρ, quorum utrumque actione mutua sese explens, eo, quod vere et unum sit, comprehendi vidimus. Dico generis notionem, illud in omnibus exemplis unum, atque illa πολλὰ, species, generis partes, quae τάλλοις et τῷ μὴ ὄντι respondent. Quibus utrisque εἰδος effici scimus. Dico denique ea, quae ιδέα copulantur, inter se contraria principia; principium ejus, quod in specie quaque unum et idem est et interdum a Platone jam ipsa idea κατ' ἔξογήν dicitur; et principium multorum, materiae formis designandae, existentis cujusque (1), quod etiam in idea a rebus segregata locum habere sane potest.

Quibus etiam quae Trendelenburg, ex Aristotelis testimonio colligens, hac de re exponit, optime congruunt (2). (Aristot. Metaph. I, 6. p. 20.) dicit: ὡς μὲν οὐν ὑλην τὸ μέγα καὶ τὸ μικρὸν εἶναι ἀρχὰς (idearum),

τοῖς μετέχουσιν. Ibid. p. 269. τὸ δὲ λέγειν ταραδείγματα εἶναι καὶ μετέχειν αὐτῶν τὰ ἄλλα κενολογεῖν ἐστὶ καὶ μεταφορὰς λέγειν ποιητικάς. τί γάρ ἐστι τὸ ἐργαζόμενον πρὸς τὰς ἰδέας ἀποβλέπον; —

Quae omnia expediri et excusari facillime possunt; at ne opus quidem est.

(1) Arist. Metaph. p. 278. τοῦ γὰρ πολλὰ τὰ ὄντα εἴναι αὐτία αὐτῆς (τῆς δυάδος) ἡ φύσις.

(2) V. De ideis et numeris doctrina p. 47--54.

ώς δ' οὐσίαν τὸ εἶ. Unum igitur est ideae forma (*οὐσία*); magnum et parvum autem materia. Magnum et parvum idem est, quod ἀπειρον (p. 47.), quod Platonis θατέρωφ (p. 52.) optime respondet, et ut τὸ μὴ οὖ (p. 49.) et δύάς (p. 47.) saepissime ponitur, ita ut voce dyadis non ipse binarius numerus, sed nihil nisi intima duplicitis cuiusdam conjunctio indicetur (p. 49.) Unum itaque (tamquam *οὐσία*) et definienda infinitas (ἀπειρον, tamquam materia) idearum elementa sunt. —

VIII.

In dialectica exponenda processuris nobis nunc idearum principia, τὸ εἶ, et τὸ ἀπειρον sive δύας distinctius tractanda sunt. — Alterum cum omni de materia quaestione ad posteriorem disputationem, ubi Xenocratis rationem explicantes, Platonis physicam adumbrabimus, remittimus; alterum statim expediamus. Quaeritur igitur, quidnam istud εἶ sit, quod in idea οὐσίαν exprimat; sitne numerus solummodo, an illud unicum bonum, quod plurimis locis τὸ εἶ dicitur, an neutrum, sed aliud quippiam.

Equidem secundum eam rationem, quam in Platone explicando ideisque construendis secutus sum, quaestionem hanc in sequentibus ita me persolvisse censeo, ut cum Platone bene conspirare mihi videatur. —

Ita fert universa Platonis philosophiae conditio, ut ideae ultimi et summi veritatis et essentiae omnis gradus sint, neque quidquam illis melius aut perfectius admittatur. Quodsi Deus inducitur, sententia mea minime dejicior, imo quae sequentur, eam confirmabunt. Rei mi-

nimae idea eodem jure, quo rerum universitatis idea summa veritas est; utraque enim in se et per se est et cogitatur neque altera ad alteram refertur, nisi mente, quae eas cernit et comparat. Itaque hoc modo ideae cuiusque *εν* — notio, forma, *οὐσία* et finis. aliis verbis, bonum est, sed tantummodo bonum hujusce ideae, neque vero bonum per se et unicum. Ita quot ideae: tot bona. At necesse est, ut sit et cognoscatur idea, quae omnes reliquas ideas in se comprehensas contineat et conjungat. Quemadmodum enim est res sive genus, quod alias res omnes et genera complectitur (veluti jam planetarum quisque omnia, quae fundit, genera definitione sua continet): ita etiam mundi idea (quum mundus complexio rerum omnium sit) omnes reliquas ideas comprehendit, ita ut quodammodo idea *κατ' εξοχὴν* sit, atque *εν* finisque ejus bonum absolutum et quasi omnium bonorum idea esse appareat. (1)

Proportionem, quae interest inter ideas et hanc unam ideam, aut potius, quae interest inter bona et absolutum bonum unum, (de hoc enim apud Platonem agitur) bene et accurate perspicientes nos evidentissime repugnantia quaedam in tota ratiocinatione offendit. (2)

Bonum enim absolutum, quamvis relatione et com-

(1) Phileb. p. 65 A. οὐχοῦν εἰ μὴ μιᾶ δυνάμεθα ἴδεα τὸ ἀγαθὸν θηρεῦσαι, σὺν τοισὶ λαμβάνοντες, καλλει καὶ ξυμετρίᾳ καὶ ἀληθείᾳ; — ubi idea boni ideas reliquas, quarum tres praestantissimae eliguntur loco nostro, comprehendi appetit.

(2) cf. Geschichte der griechisch-römischen Philosophie von Brandis. p. 240 etc. — Aristot. Metaph. p. 286, v. 25. p. 287 v. 20. M.

paratione quaque superius sit, tamen in bonorum reliquorum ordine collocatur, quo fit, ut tota haec ratio claudicet. Haec difficultatum illarum, quibus et totam antiquitatem et Platonis philosophiam laborare dixeram, et maxima est et effecit, ut Plato Deum neque in mundo neque extra mundum plane et perspicue videret nec statueret, sed aut translationibus ambiguis et poeticis uteretur, aut, se de bono ipso nihil firmi statuere posse, libere profiteretur. (1).

In qua ambiguitate, quae sequuntur, pro certis accipi possunt. Unum (illud sumnum) ipsum bonum est (2). Bonum vero summa idea; finis absolutus; ultima et prima causa (1); sumnum et naturae et liberi consilii voluntatisque humanae principium; naturae — ut causa, η ἀρχὴ τῆς κινήσεως vitae et libertatis — ut finis, τὸ οὗ

(1) *De Rep.* VI., 505 A. αὐτὴν (τὴν τοῦ ἀγαθοῦ ἰδέαν οὐχ ἵκανῶς ἴσμεν. Ibid. p. 517. C. ἡ τοῦ ἀγαθοῦ ἰδέα μόγις ὁρᾶσθαι — ὅφεισα δὲ συλλογιστέα εἶναι ὡς ἄρα κᾶσι πάντων αὕτη ὁρᾶν τε καὶ καλῶν αἰτία. *De leg.* XII. 966 B. εἰδέναι δὲ εἰς ὅσον δυνατόν ἐστι τοῦτο ἀνθρώπου γιγνώσκειν (scilicet τὸ περὶ τοὺς θεούς). Ibid. X. 897. D. πρὸς δὲ εἰκόνα τοῦ ἔρωταμένου βλέποντες ἀσφαλέστερον ὄφαν. *Phileb.* p. 64. A. τί ποτε ἐν τε ἀνθρώπῳ καὶ τῷ παντὶ πέρικεν ἀγαθὸν καὶ τίτα ἰδέαν αὐτὴν εἶναι ποτε μαντευτέον. *Tim.* p. 28. E. τὸν μὲν οὖν ποιητὴν καὶ πατέρα τοῦδε τοῦ παντὸς εὑρεῖν τε ἐργον καὶ εὑρόντα εἰς πάντας ἀδύνατον λέγειν.

(2) *De ideis et numeris* etc. p. 91. Quod etiam Braudius nunc accipit. cf. *Geschichte der griechischen Philosophie* p. 307. Aristoteles *Metaphys.* N. ed. Brand. p. 301). Minus concedebat in *Disputatione „Ueber die Zahlenlehre der Pythagäer.“* *Rheinisches Museum* 1828 viertes Heft. p. 567.

(1) *Phileb.* p. 54. Brand. *Geschichte der Philosophie* p. 331.

ένεκα (2). Bonum solum τὸ ικαρὸν (3) est, ita ut nulla demonstratione egeat. Omnes reliquae praemissis et concessis fundamentis nituntur, quorum commune fundamentum et νπόθεσις ipsum bonum est (4). Omnia quae fiunt, finis causa fiunt; finis vero cujusque finis est bonum. (5).

Est locus in libris de Republica (VI. c. 18) ed. Steph. p. 508 et 509, ubi idea boni cum sole comparatur. Ita ut sol rebus, quas oculis adspicimus, non modo potestatem, qua adspici possint, sed etiam γένεσιν et αὐξην et τροφὴν tribuat, quamquam ipse sol γένεσις nullo modo sit: ita etiam bonum ideis potestatem, qua cogentur (*γιγνώσκονται*), essentiamque habeant, tribuere dicitur, quamvis ipsum οὐσία non sit, utpote omnibus his qualitatibus superius. Atque quomodo oculi, si res solis radiis non tactas, noctisque tenebris offusas, spectant, μάζλωττονσι et caecis similes sunt: eodem modo etiam animus, nisi veritatis et boni luce ea, quae cogitat, illustrata sunt, errat caecusque est.

Habeantne igitur ideae veritatem, possintne cogitari et cognosci, necne, ex solo bono pendere, indicatur, idque etiam animo cogitandi vim et dignitatem quamque praebere. — Qua boni cum sole comparatione, Platonii adamata quamquam minus feliciter electa — sol enim res

(2) cf. De ideis etc. p. 100. Brandis Geschichte p. 331.

(3) Phileb. p. 20 B. τι δαι; ικαρὸν τάγαδόν.

(4) Phaedo p. 101. D.

(5) Phileb. p. 54. C. τό γε μὴν οὐ τὴ ένεκα τοὺς ένεκά του γιγνόμενον δεῖ γιγνοιτ' ἄν, εν τῇ τοῦ ἀγαθοῦ μοίρᾳ ἐκεῖνος εστι.

illustrat, at praeter eas et procul situs est, ita ut inter ipsum et res spatium evidenter intercedat — philosophus ante oculos nostros tamquam vehiculo quodam a sua ipsius philosophia removetur atque eo rejicitur, ut bono, a rerum societate abstracto, et a mundo hoc nostro evidenti, quem alio loco umbrarum mundum declarat, segregato, atque ita veritatis et cognitionis radios fundenti, magis favere videatur, quam pro ingenio universae ejus philosophiae et ratione fas est.

Hujuscemodi comparationibus poeticis Plato disquisitionem de bono philosopham fere suspendit. Ut cunque tamen est, bonum quasi notionem et intimam Dei naturam eum cogitasse: et maxime probabile est, et jam inter viros doctos convenit (1). Omnia, quae de Deo a Platone statuuntur, sunt, quia bonus est et sine invidia (2). Ceterum distinctius non definitur Deus, semper autem ut *δημιουργός* (Tim.) et *φυτονοργός* commemoratur. Quod solum, etiamsi locos gravissimos, ad Platonis Theosophiam plurimum conferentes, non haberemus(3). Deum intelligentem et creatorem declararet. —

Jam quatenus dialogis exponitur, totam Platonis dialecticam, quod totius Academiae veteris, quo stat et sustinetur, commune fundamentum est, adum-

(1) Cf. T r e n d e l e n b u r g . D e P l a t o n i s P h i l e b i c o n s i l i o pag. 18. —

(2) Timaeus p. 30. A.

(3) E. c. Phileb. p. 30. C. βέλτιον λέγοιμεν, ὡς ἔστιν, ἀ^πολλάκις εἰρηκαμεν, ἀπειρόν τε ἐν τῷ παντὶ πολὺ καὶ περας ἵκανον, καὶ τις ἐξ' αὐτοῖς αἰτία οὐ φαῦλη, κοσμοῦσσα τε καὶ συντάττουσα ἐνιαυτούς τε καὶ ὥρας, καὶ μῆνας, σοργία καὶ νοῦς λεγομένη δικαιότατ' ἄν.

bravimus. Qua in re si diutius, quam opus fuerit, morati videmur, id eo excusari volumus, quod Platonis doctrinam explicantes, rem argumento proposito non modo non alienam, verum artissime cum eo conjunctam neque omnino omittendam tractare nos putabamus. Etenim omnes, quae ponebantur, quaestiones non solum ad Platonis philosophiam, sed etiam ad discipulorum ejus decreta quam maxime referuntur, ita ut, nisi hic in unum congestae et connexae persolutae essent, quum omnino praeteriri non possent, aliis disputationis hujuscce locis illustrandae fuerint, quo nec temporis quidquam lucrati essemus, et difficultates, quas res dissolute neque continua serie exposita semper habet; cum incommodo nostro augerentur.

IX.

Nihilominus tamen nunc quidem ad Speusippum statim redire non possumus. Sunt enim quaedam in Platonis Platonicorumque philosophia capita gravissima a nobis nondum tractata, quae, quamquam in dialogis non inveniuntur, omitti tamen non possunt. Numeros dico, ad quos cum metu et dubitatione quadam dilucidandos aggredior. Etenim omnium, quae Platonem respiciunt, illa de numeris quaestio longe difficillima est, neque eam adhuc ita enuclearunt antiquitatis studiosi, ut eam omni ex parte habeant exploratam. Quum autem Speusippi, Xenocratis, aliorum, quorum nomina quidem oblivione obruta, at opiniones ab Aristotele conservatae sunt, philosophandi ratio, nisi numerorum hac doctrina bene perspecta, intelligi recteque existimari nullo modo possit; (veritatem enim omnem numeris solis per-

fekte exprimi posse putabant, iisque summis definitionibus et determinationibus utebantur:) — neque causam meam in maximum periculum et extremum paene discrimen adductam esse insitior, et ut officio, quod mihi ipsi imposui, satisfaciam, admodum timeo. Qua in difficultate mihi versanti hoc certe solatio est, quod etiam Brandisius, obscuritatem rei ingenue agnoscens, disquisitionem, quae omnes scrupulos et ambiguities plane elevat, institui posse desperat. (Cf. »Ueber die Zahlenlehre etc.« Rhein. Museum 1828. 4 Heft. p. 575 u. 583.)

Ante omnia, quae pro certis de Platonis numeris accipi possunt, conferantur. — Plato numeros proiectiore aetate in dialecticam invexit, quod quum e loco quodam Aristot. [Metaphys. XIII. 4. M. p. 265. (1)], tum etiam inde conjiciendum est, quod omnes dialogi de hujusmodi numeris, quales Aristoteles commemorat et refellit, tacent. Qui numeri causae rerum esse (2) declarantur, atque inter ideas collocantur, ita ut ne certum quidem sit, sintne idem atque ideae, an ab illis diversi. Locus enim memorabilis (Aristotelis Metaphys. I, 6. p. 21.) artissimo eos et cum parvo magnoque, et cum uno, et cum ideis vinculo conjungit, neque ita tamen conjungit, ut, quid intersit discriminis, dignosci possit. Quam tamen dignitatem non omnes numeri apud Platonem adepti sunt, sed tantum ii, qui ἀριθμοὶ εἰδητικοὶ nomi-
nantur, atque a numeris mathematicis et αἰσθη-

(1) Περὶ δὲ τῶν ἴδεων πρώτον αὐτὴν τὴν κατὰ τὴν ἴδεαν δοξαν ἐπισκεπτέον, μηδὲν συνάπτοντας πρὸς τὴν τῶν ἀριθμῶν φύσιν, ἀλλ᾽ ὡς ὑπέληπτον εἴς ἀρχῆς οἱ πρώτοι τὰς ἴδεας φήσαντες εἴναι.

(2) Aristotelis Metaph. p. 296. Ibid. p. 304. Ibid. 307.

τοῖς discernuntur. Quae tria genera quomodo inter se habeant, non minus obscurum est. — Summum, quod de numeris idealibus, qui dicuntur, statui potest, est *ut causae rerum*, unde similitudinem idearum quandam intelligas, primi numeri, et *ἀσύμβλητοι* esse dicantur, neque plures quam decem sint. (1)

Multas igitur Platonis numeri definitiones habemus, quae, qualis ille sit, ut suspicare possimus, efficiunt; nulla tamen naturam ejus omni ex parte explanat. — Ego hanc veniam mihi expeto, ut aliquid, quod nusquam quidem dictum est, quod tamen probabile esse videtur, conjicere, ad rationemque, quam in Platonis philosophia explicanda teneo, expediendam redire mihi liceat. Minime enim numeri ab ideis aliisque dialecticae partibus abrupti sunt; neque, nisi tamquam annulus prioribus veri determinationibus, unum dialecticae orbem efficientibus, annexantur, recte explicari possunt. Eruantur igitur e memoria omnia, quae intromissa sunt, ut de bono quaestione persoluta, in dialectica enarranda pergere videamus, ipsoque rei ordine et cursu in numeros et ponendos et enucleandos incidamus.

Videbamus supra omnia, quae in idearum doctrina imperfecta et manca relinquuntur. Tres imprimis difficultates ne Platонem quidem fugere poterant. Quarum prima eo potissimum constat, quod ideae, praeterquam quod tamquam imagines (*Anschauungen*) cernuntur, minime ita intelligentia cognoscuntur, ut suā quaeque formulā et notione perspicue et proprie determinari possit,

(1) cf. Trendelenburg. *Platonis de ideis et numeris doctrina etc.*

quae est sola ratio, qua non modo natura ideae in universum sed etiam singulae cujusque ideae potest bene elucere potest. Talis enim cognitio, qualis apud Platonem idearum scientia est, quamvis jam ideas, quae veritatem habent omnem, cognoscendas tractandasque sumat, minime tamen vera cognitio est. Namque hoc cognitio-
nis gradu sibi quisque ideas, quas solas esse audit, co-
gitatione fingit; eodem modo aliis, ideas solas esse, de-
clarat, neque tamen quales sint, quomodo inter se diffe-
rant, demonstrat, quum res, quae cernuntur, depingi po-
tius quam enarrari et definiri possint. Itaque ideas sua
cuique ratione fingendas committi, necesse erat, ex quo
quantum philosophia capiat incommodi satis est perspi-
cum. — Ad hanc imperfectam ideae in universum no-
tionem, quae sequuntur atque ab Aristotele vituperantur,
philosophiae platonicae errores ac vitia referenda sunt.
Ideae plurimae sunt, neque ab omni inter se societate avelli
possunt, quamvis jam per se quaeque constet, rerumque
causa sit. Quum enim res omnes evidentissimo nexu
inter se copulatae sint: fieri non potest, quin etiam ideae,
quae rerum παραδείγματα sunt, eadem ratione conjungan-
tur. Id quod fieri non potuit, quin a Platone ipso agno-
sceretur. — Accedit, quod a boni idea veritas stabilitas-
que earum omnis proficiscitur, quo artius statuitur idea-
rum et eum bono et inter se commercium. Quale ta-
men commercium conjunctioque haec esset, neque decla-
ratum est, nec, quam diu ideae tantum cernebantur, co-
gitatione vero intelligentiaque philosopha non definieban-
tur, declarari potuit.

Ubi facile jam illud tertium accidet, ut una res
plures ideas habeat (ut unus Socrates plurimum παραδεῖ-

γνῶτον ἔντυπον appareat), quo tota Platonis ratiocinatio vehementer convellitur et plane evertitur. Quae enim statuebatur idea una omnem rerum multitudinem efficiens, jam in societate aliarum idearum una re contineri conspicitur, ita ut modo res, modo idea in multitudine una esse videatur (1). Has omnes ambiguitates Plato ipse non videre non potuit, quas quum ab illa incerta ideae natura proficiisci videret, statuendam est, primum quod expeteret fuisse, ut ideae proprietates certiore et praecisiore quasi formula descriptae ponerentur.

At quomodo eam definire poterat? — Num acuta, philosopha, dialectica investigatione? Nihil detractum volumus sollertiae et ingenio Platonis, si eum, idearum artificem, has ipsas ita determinare potuisse negabimus. Proprio enim, vereque philosopho (ut nos dicimus, speculativo) modo ut notiones definiret, reservatum erat Aristoteli. Plato vero, quum artifex esse desiisset, mathematicus factus est, neque tamen talis mathematicus, cui qualitas nullum in ratiocinando obtineret locum. Quod quomodo intelligam, numeri Platonici, quam prolaturus sum, explicatio ostendet. — Elementa ideae, cujusque ideae, sunt Unum — et Magnum Parvumque, sive Dyas. Quae elementa quum in unaquaque eadem sint, ideae tamen inter se differant: differentia haec, sieubi, certe in ratione, quae est alteri elemento cum altero, oportet posita sit. Elementorum ratio ideam quamque singularem determinat; ea ut haecce idea sit, efficit, ejus ipsa proprietas atque natura, majus dicam, idea ipsa est. Ita idea est ratio, qua elementa inter se ha-

(1) cf. Aristotelis Metaph. p. 269. M.

bent, sine qua ratione proprietatem ejus nullo modo exprimes. — Unaquaeque ratio, ut arithmeticā, ita geometricā, nota et definita tum est, quum partes, quae eam efficiunt, definitae sunt. Idem de ratione hac philosopha statuendum. — Unum, utpote $\pi\epsilon\rho\alpha\varsigma$, definitum est; dyas, simulatque a Platone cernebatur idea quaeque, eo ipso certa et definita menti obversaretur necesse erat; utraque igitur rationis pars (Glied) nota est. Ergo tota ratio (idea) definita, neque quidquam reliquum est, quam ut tandem uno sive signo, sive verbo, sive denique numero indicetur. Ut indicaretur numero, Plato unius atque dyadis rationem, ideae naturam experimentem, rationi mathematicae comparavit, proportionēque posita, rationis hujus numerum (die Verhältnisszahl) pro ipsa idea posuit, novumque in dialecticā determinandi modum, melius jam (quum et qualitatem et quantitatem tangeret) rem definientem invexit. Rei ut adjungamus exemplum, ponamus, Platonī corporis solidi ideam cernenti, visum esse, elementa ejus ita inter se habere, ut unum atque quatuor. Erit ergo

Dyas: unum = 4: 1.

Hac in proportionē rationis numerus quatuor est; qui quum exprimat, qualis et quanta sit ratio 4: 1, etiam qualis et quanta sit elementorum horum ratio exprimit atque pro ea poni potest. Quum ratio denique ideae ipsi semper par sit: ergo corporis solidi idea = 4. (1). — Fortasse in proportionē construenda in falsum aliquid detorsi, aut Platonis sententiam non ubi-

(1) Aristot. Metaph. p. 299 v. 5.

que tetigi; at ut omnibus his satisfaciā mīhi minime sumo. Hoc tantum teneo et tueor, Platonis numerū esse numerū rationis (Verhältnisszahl), quam principia ideāe cujusque inter se habeant, atque intelligi posse si eum rationis numerū esse statuimus, quod »rationis« nusquam quidem dictum est, at aliis verbis, quae idem indicant, significari mīhi videtur. Inspiciāmus locum illum Metaph. p. 21. ubi, quomodo ideāe numeri fiant, commemoratur. ἐξ ἐκείνων (τὸ μέγα καὶ τὸ μικρόν intelligitur) γὰρ κατὰ μέθεξιν τοῦ ἑνὸς τὰ εἰδῆ εἴναι τοὺς ἀριθμούς. Quae si intelligenda sunt, aliter explicari non possunt, nisi ita, ut ideāe per conjunctionem et pro (κατὰ) conjunctione unius et dyadis, sive, quatenus conjunguntur et referentur inter se elementa earum, numeri sint. Neque enim haec μέθεξεως vox aliud quidquam significare, neque κατὰ μέθεξιν τοῦ ἑνὸς ad τὰ εἰδῆ pertinere potest. Si μέθεξιν non rationem, ut volo, sed consortiēm proprio sensu acciperemus: aut supervacanea, aut falsa, aut obscura haberemus. Dico supervacanea, quia unum et dyas sese invicem semper expetunt, neque alterum sine altero cogitari potest. Cur igitur et quomodo elementa, quae semper μέθεξιν habent, magis quam unquam nunc mutuam inter se vim exerceant? Falsa legemus, si sensus erit: ideāe fiunt numeri, quum elementa earum commercium mutuum habent; nullo modo enim tum aliud quidquam, nisi ideāe esse possunt, (certe secundum ea, quae §. VII. disputationis nostrae demonstravimus, ubi dictum est, jam in idea principia haec minime disjuncta, sine commercio esse, ita ut principio-

rum demum communitas ($\muέθεξις$) ideam efficiat, minime vero novi quidquam apponat). Si igitur idea numerus futura est, aliquid novi praeter illam veterem $\muέθεξιν$ accedat, necesse est, quo idea promoveatur. — At etsi concedamus, ideas hujus principiorum commercii causa, quasi per tertium comparationis, ut dicitur, numeros esse: nonne Aristoteles commercio ($\muέθεξη$) principiorum numeros effici, prius commemoraverit? Unde et quid scimus de numeris? Quasi coelo delapsi sunt, et statim cum ideis comparantur, minime vero ita comparantur, ut quales sint, quo ab ideis discrepent, demonstretur, sed ut comparentur tantummodo.

Respiciamus denique, quae sit sententia, si $\piάτ&\alpha\muέθεξιν τοῦ \acute{e}νός$ ad $\tauὰ εἴδη$ pertineat. (Unum hoc, quod Aristoteles hie commemorat, est $oύσια$ cujusque ideae.) Quid dicitur igitur? Ideam, si, aut quatenus unum (sibi ademtam essentiam?) respiciat, numerum fieri; $\varepsilon\xi \acute{e}νετρων$ quid sibi velit, hac constructione probata, plane nescio. At mittamus explicationes istas. Quod igitur solum intelligi potest, hoc est: ex relatione parvi et magni ad Unum Idea fit Numerus. Ubi haec differentia inter ideam et numerum ponitur, ut idea principiorum commercium: numerus principiorum relationem sive rationem habeat; quae sane propinquae voces sunt, atque solum subtilitate philosopha inter se distinentur.

Cui loco annexantur duo alii: Met. p. 290. $\gamma\acute{e}ν-$
 $\nu\acute{o}ται γὰρ οἱ ἀριθμοὶ τοῖς μὲν ἐπ τῆς τοῦ ἀνίσον διάδος$
 $τοῦ μεγάλον καὶ μικροῦ, τῷ δὲ ἐπ τοῦ πλήθους, ὑπὸ τῆς$
 $τοῦ ἑνὸς δὲ οὐσίας ἀμφοῖν.$ et Metaph. p. 272. $\circ γὰρ ἀρ-$

Θμός ἐστιν ἐκ τοῦ ἑνὸς καὶ τῆς δνάδος τῆς ἀορίστου, καὶ
αἱ ἀρχαὶ καὶ τὰ στοιχεῖα λέγονται τοῦ ἀριθμοῦ εἶναι.

Quos locos ego ita intelligo. Rationis numero (Verhältnisszahl), quippe qui ratione creatus effectusque sit, ratio origo; rationis partes, h. e. τὸ ἔν et δνάς, elementa sunt. Quae elementa nisi rationem efficerent, ne numerus quidem exstaret. Ita igitur eas causas et elementa, quibus quodammodo componitur, habet et iis generatur (*γεννᾶται*) (1). Quae si accipiuntur, loci obscuri et difficilis sententia fortasse explicari possit. Metaph. M. p. 271. οἱ μὲν οὐντικοὶ φασὶν εἶναι τὸν ἀριθμὸν, τὸν μὲν ἔχοντα τὸ πρότερον καὶ ὑστερον τὰς ἰδέας, τὸν δὲ μαθηματικὸν παρὰ τὰς ἰδέας καὶ τὰ αἰσθητὰ, καὶ χωριστὸν ἀμφοτέροις τῶν αἰσθητῶν. Ideales esse indicantur numeri, qui prius et posterius habeant. Prius (τὸ πρότερον, τὴν γύσιν πρότερον, ἀπλῶς π.) generalem notionem, legem, finem, qui natura prior sit, et materiam ponat, suaque forma designet; posterius contra illud materiae principium significare puto, quod Aristoteles saepe πρὸς ἡμᾶς πρότερον re vera autem posterius esse declareret. Ita fit, ut πρότερον et ὑστερον nihil sit,

(1) Metaph. K. p. 215. ἐκ δὲ τοῦ ἑνὸς καὶ τῆς ὕλης τὸν ἀριθμὸν γεννῶσι πρότερον. καὶ τοῦτον οὐσίαν φάσκουσιν εἶναι. —

Qui locus multis de causis gravissimus est: primum ideo, quia quae de numeri diximus elementis, confirmat; tum quia, quae de πρότεροι et ὑστεροι sentimus et statim dicturi sumus, quam maxime comprobat. Aristotelem denique in Platonis dogmatis commemorandis suis ipsius determinandi modis usum fuisse, demonstrat, ita ut quomodo hic ὕλην (quae vox apud Platonem non invenitur) invexerit, ita etiam τὸ πρότερον et ὑστερον illo loco invexisse appareat.

nisi illa nobis jam nota principia: τὸ ἐν et δνάς. Sententia igitur est, ideas esse numeros tales, qui unius et dyadis rationem definiant, atque rationis numeri sint.

EIAM reliqua, quae locus hic continet, ante omnia vero quae de diverso numerorum genere narrantur, expediamus. Divisio in numeros εἰδητικός, αἰσθητός, et μαθηματικός plurimis locis comprobatur, quorum gravissimi sunt Metaph. M., p. 271. M., 286. M., p. 299. — His aliisque locis tria numerorum genera recensentur, ideales, αἰσθητοί qui sensibus concipiuntur, et mathematici. Mathematici non rationis numeri, sed ἀπλῶς numeri et vulgares esse videntur, quales in libris de Rep. commemorantur, quasi τὸ ὄλκόν tantum ad veritatem, ita ut scientia numerorum tantummodo διάροται, minime ἐπιστήμη sit. Quae opinio ideo mihi probatur, quod hi numeri mathematici αἰσθητοί non dicuntur, imo addi et cum aliis coalescere, qualitatem igitur nullam habere possunt. Numeri sub sensum cadentes (αἰσθητοί) qui sint, difficillimum est ex paucis, quae dantur, colligere. Evidem eos ita numerorum idealium imitationes (εἴκησις) esse statuo, ut res idealium imitationes esse dicuntur. Numerus enim idealis, vel »primus« ideae naturam (rationem) declarat, ideoque idealis nominatur: numerus vero αἰσθητός eandem notionis generalis atque materiae rationem exprimit, minime tamen rationem, quae in idea, sed quae in re, exemplo, ἐκτίνεται; ita ut quodammodo vivae et sensibus concipiendae elementorum rationis vivus et realis numerus sit. Quemadmodum in Timaeo dicitur κόσμος εἰκὼν τοῦ νοητοῦ θεός αἰσθητός· eodem modo αἰσθητός ἀριθμός idealis numeri εἰκὼν est, quapropter etiam nume-

rus idealis primus (Urverhältnisszahl) dicitur, et numerorum, qui sub sensum cadunt primumque numerum imitantur et effingunt, quasi idea est. — Omnium überime numerus idealis ab Aristotele tractatus est. Qui quum nihil sit, nisi ipsa idea pressius modo mathematico determinata, eandem potestatem dignitatemque, quae ideae vindicatur, habeat necesse est. Itaque loci, qui primo adspectu idearum doctrinae repugnare videantur, tantum abest ut perturbare nos possint, ut opinionem de numeris nostram etiam confirment. Quodsi igitur numeri a rebus segregati (1); nullo in loco exstantes (2); primi numeri (3); monadici (4) ita ut aliis cum alio conjungi non possit, declarantur: dummodo ideae (*iδέας*) ratio et natura teneatur, explicatio in promptu est. Quid enim omnibus his determinationibus significetur, ideae in §. VI disquisitio satis planum facit. —

Adjiciendum est, quantum ex Aristotelis mentionibus liquet, quo modo et quarum rerum qui numeri sint causae. Ideales numeros tantummodo primos decem (inde a monade usque ad denarium) a Platone existimatos fuisse, e tribus gravioribus locis colligo (5). Primi autem hi numeri non eam ob causam dicuntur, quia in numerorum ordine prima loca obtinent;

(1) Aristotelis Metaph. p. 271, v. 9; p. 281, v. 24; p. 269, v. 30.

(2) Phys. IV, 2. Πλάτωνι μέντοι λεκτέον... διὰ τί οὐ καὶ τόπῳ τὰ εἰδη καὶ οἱ ἀριθμοί —

(3) Metaph. p. 215. Ibid. p. 278.

(4) Metaphys. p. 271 v. 28.

(5) Phys. III. 6. ὃ γὰρ μονάς ἐλάχιστον — μέχρι γὰρ δεκάδος ποιεῖ τὸν ἀριθμόν (Plato).

Metaph. p. 250. Ibid. p. 280. Ibid. p. 281.

sed quia numerus idealis, velut trias idealis quasi πρωτότυπον et idea omnium numerorum ternariorum, sive triadum statuitur, et quasi regina totius systematis ternarii est. Id quod saltem Aristoteles (Metaphys. p. 278) significare videtur. ἀτοπον μέντοι τὸ ἐν μὲν εἶναι τι πρώτον τῶν ἔνων, ὥσπερ ἐκεῖνοι φασι, διάδα δὲ τῶν διάδων μή, μηδὲ τριάδα τῶν τριάδων . . . ἀνάγκη μᾶλλον ὥσπερ Πλάτων ἔλεγε . . . εἶναι τινα διάδα πρώτην καὶ τριάδα, καὶ οὐ συμβλητὸς εἶναι τοὺς ἀριθμὸς πρὸς ἄλλήλους. — Numeri hujusmodi, quum materiam modo et ratione sua designant, seque in materiam immittunt, fiunt μεγέθη, sive ἀριθμοὶ αἰσθητοί, (Metaph. p. 299. ποιοῦσι γὰρ τα μεγέθη ἐκ τῆς ὕλης καὶ ἀριθμοῦ) et hoc numerorum ad res quasi transitu explicatur, quamodo numeri rerum causae sint. — Ubi haec cniue numero potestas assignata est, ut monas στιγμὴ ἀθετος⁽¹⁾ et principium atque νοῦς sit; dyas τὰ μήκη generet atque sit scientia (ἐπιστήμη); trias τὰ ἐπίπεδα generet atque δόξα sit; tetras τὰ στερεὰ generet atque sit αἴσθησις itaque usque ad denarium numeri et cognitionis et rerum principia simul esse stuantur⁽²⁾.

(1) Metaph. p. 282. ὥστ' ἐξ ἐκείνων μὲν ὡς στιγμὴν τὸ ἔν καὶ τὴν ἀρχὴν ἔδηκαν. ἡ γὰρ μονὰς στιγμὴ ἀθετος ἐστι.

(2) Ibid. p. 299. ποιοῦσι — ἐκ μὲν τῆς διάδας τὰ μήκη, ἐκ τριάδος δὲ ἴσως τὰ ἐπίπεδα, ἐκ δὲ τῆς τετραδος τὰ στερεὰ καὶ ἐξ ἄλλων ἀριθμῶν. De anima I, 2. ἔτι δὲ καὶ ἄλλως, νοῦν μὲν τὸ ἔν, ἐπιστήμην δὲ τὰ δύο. τὸν δὲ τοῦ ἐπιπέδου ἀριθμὸν, δόξαν. αἴσθησιν δὲ τὸν τοῦ στερεοῦ, οὐ μὲν γὰρ ἀριθμοὶ τὰ εἴδη αὐτὰ καὶ ἀρχαὶ τῶν ὅντων ἐλέγοντο.

— De dyade testimonium memorabile legitur etiam Metaphys. p. 278. ἡ δὲ (δυάς) ποσόν, ποιόν· τοῦ γὰρ πολλὰ τὰ ὄντα εἰναι

Haec in universum de Platonis numeris dicere voluimus. Quorum intellectum ut nos jam penitus patefecisse credamus, longum abest; semper enim difficiles et ambiguae res relinquuntur, quae tamea a viris, scientiae copia, judicioque accurata et subtili philosophiae peritia subacto instructis, minime vero a tironibus persolvi et solent et possunt. At quae ad Platonis doctrinam explicandam accedentes protulimus, eadem nunc repetantur: nos modo unam rectam sententiam protulerimus, nec operam omnem nos perdidisse, et vero aliquid fructus ex labore in hoc studio consumo perceperisse, arbitraturos.

X.

His igitur expeditis, quum nihil quomiuus ad Speusippum accedamus, prohibeat: explicetur diligentius, quae et qualia sint placita ejus, quomodo cum Platonis philosophia cohaereant eamque promoveant. Quorum gravissima quoniam tertia parte disputationis hujusce attigimus, nunc hanc instituemus disserendi rationem, ut singulos deinceps locos, qui a proposito haud alieni esse videantur, in disceptationem vocemus, dein diligenter examinemus, argumentis denique omnibus ex locis conquisitis faciamus judicium.

Legimus Aristotelis Metaphysica Z. p. 129. *οἱ δὲ πλεῖστοι καὶ μᾶλλον ὄντα, αἰδία, ὥσπερ Πλάτων τὰ τε εἴδη*

αὐτία αὐτῆς ἡ φύσις. Dyadis igitur natura causa est, cur res sint habeantque multitudinem. Quod scire magni momenti est in intelligendo loco alio. Metaphys. p. 21. v. 15—18. — Neque locum gravissimum Theophrasti Metaph. (p. 312—313) legisse te poenitebit.

καὶ τὰ μαθηματικὰ δύο οὐσίας, τρίτην δὲ τὴν οὐσίαν τῶν αἰσθητῶν σωμάτων οὐσίαν. Σπεύσιππος δὲ καὶ πλεῖον οὐσίας ἀπὸ τοῦ ἐνὸς ἀρχάμενος, καὶ ἀρχὰς ἑκάστης οὐσίας ἄλλην μὲν ἀριθμῶν, ἄλλην δὲ μεγεθῶν, ἐπειτα ψυχῆς καὶ τοῦτον δὲ τὸν τρόπον ἐπεκτείνει τὰς οὐσίας. Qui locus testatur, plures a Speusippo οὐσίας, inter has autem unum tamquam primam essentiam positum fuisse; ita ut, quamvis ad suum quaeque οὐσία principium revocaretur, unum tamen quasi primum rerum principium in universum fuisse videretur. Quod iis, quae sequuntur, comprobatur. Met. N. p. 300 et 301. παρὰ μὲν γὰρ τῷ φεολόγῳ τὸν ἔοικεν ὁμολογεῖσθαι τῷν τὴν τιστήν, οὐδὲ φασιν, (principium ipsum jam Bonum per se esse), ἀλλὰ προελθούσης τῆς τῶν ὅντων φύσεως καὶ τὸ ἀγαθὸν καὶ τὸ καλὸν ἐμφαίνεσθαι. τοῦτο δὲ ποιῶσιν εὐλαβόνυμενοι ἀληθινὴν δυσκέρειαν, ἵνα συμβαίνει τοῖς λέγονσιν ὡσπερ ἐντοι, τὸ ἐν ἀρχῇν. ἔστι δὴ δυσκέρεια οὐδὲ διὰ τὸ τῇ ἀρχῇ τὸ εὖ ἀποδιδόναι ὡς ἴπαρχον, ἀλλὰ διὰ τὸ ἐν ἀρχῇν ὡς στοιχεῖον καὶ τὸν ἀριθμὸν ἐκ τοῦ ἐνός. Quibus theologis et «non-nullis», qui hic commemorantur ab Aristotele, etiam Speusippum adnumeratum esse alius locus (Metaph. A. pag. 249.) demonstrat: "Οσοι δὲ ὑπολαμβάνονται, ὡσπερ οἱ Πνθαγόρειοι καὶ Σπεύσιππος, τὸ κάλλιστον καὶ ἀριστον μὴ ἐν ἀρχῇ εἶναι, διὰ τὸ καὶ τῶν φυτῶν καὶ τῶν ζώων τὰς ἀρχὰς ἀτίτα μὲν εἶναι, τὸ δὲ καλὸν καὶ τέλειον ἐν τοῖς ἐκ τούτων, οὐκ ὁρῶς οἴονται. Item Eth. Nic. I, 4. πιθανότερον δὲ εοίκασιν οἱ Πνθαγόρειοι λέγειν περὶ αὐτοῦ, τιθέντες, ἐν τῇ τῶν ἀγαθῶν συστοιχίᾳ τὸ εὖ. οἷς δὴ καὶ Σπεύσιππος ἐπακολούθησαι δοκεῖ. Igitur etiam haec de Speusippo accipienda sunt: Metaphys. N. pag. 302. (c. 5.) Εἰ οὖν καὶ τὸ μὴ τιθέναι τὸ ἀγαθὸν ἐν ταῖς

ἀρχαῖς καὶ τὸ τιθέναι οὕτως ἀδύνατον, δῆλον ὅτι αἱ ἀρχαὶ οὐκ ὄρθως ἀποδίδονται οὐδὲ αἱ πρῶται οὐσίαι. οὐκ ὄρθως δύνπολαμβάνει οὐδὲ ἐξ τις παρεικάζει τὰς τοῦ ὄλου ἀρχὰς τῇ τῶν ζώων καὶ φυτῶν, ὅτι εἰς ἀορίστων ἀτελῶν δὲ ἀεὶ τὰ τελειότερα, διὸ καὶ ἐπὶ τῶν πρώτων οὕτως ἔχειν φασίν, ὥστε μηδὲ ὅν τι εἶναι τὸ ἐν αὐτῷ. Et, quod sequitur, ὁ μὲν etiam Speusippum spectat; (ibidem v. 8.) ὁ μὲν ἔφενγε τὸ ἀγαθὸν προσάπτειν τῷ ἐνὶ οὐς ἀναγκαῖον ὅν, ἐπεὶ (δ') [1] εἰς ἑραρχίαν ή γένεσις, τὸ κακὸν τὴν τοῦ πλήθους φύσιν εἶναι.

Locus his omnibus inter se collatis, equidem Speusippum ita philosophatum esse putem, ut unum (τὸ ἐν) numerorum principium, et quasi potentiam numeri (qui numerus in potentia dicitur); minus ipsum numerum jam positum statueret (2), numeros rerum causas poneret (3), ita tamen ut aliis alii substantiae pro elemento tribueretur (4), et hoc modo progressus, omnes,

(1) δ' nisi ejeceris aut $\varepsilon\pi\varepsilon i\delta'$ legeris, sensum perspicuum quin invenias dubito. Locum ita hunc verto: Vitabat Speusippus bonum attribuere uni, quia necessario tum — genesis enim ex contrariis (sc. principiis fit) — malum multitudinis natura esset.

(2) Metaph. p. 302. ὥστε μηδὲ ὅν τι εἶναι τὸ ἐν αὐτῷ. Quod illi Platonis dogmati respondere videtur, ubi ἡ μονὰς στιγμὴ ἀθετος dicitur, cf. Metaph. p. 282.

(3) cf. Metaph. p. 306, v. 15; Ibid. p. 305, v. 18; Ibid. p. 304. v. 2, et plurimos locos alios, qui ut Platonicos in universum ita etiam Speusippum spectant. Numeri itaque rerum (substantiarum) causae sunt: numerorum autem principium et causa τὸ ἐν est; itaque τὸ ἐν generale substantiarum et rerum universitatis esse principium a Speusippo declaratur, cf. Metaph. p. 301, et alios locos.

(4) Metaphys. p. 129.

quas acciperet, substantius produceret, determinaret, usque ad illam, quae agnosceretur illa *τέλεια*, perfecta et ultima substantia, cui bonum ipsum — elemento non vindicandum — assignaretur (1).

Qua in procedendi via, in rebus dico singulis ad singulos numeros referendis, perveneritne Speusippus ad exitum, nullo numero, nulla substantia praetermissa, sed ita gradus cum gradibus connectens, ut alii aliis prae-munirentur, et cur quisque sequeretur deinceps ex superiore via intelligeretur: certo edicere non possum; si tamen locum in Theophr. Metaph. respicio (p. 313. ed. Brandis. Arist. Met.), nego (2).

Itaque rationem suam magis significasse, magis ad ultimam et perfectam illam substantiam direxisse, quam perduxisse, exegisse et elaborasse mihi videtur Speusippus. Quo factum est, ut ne ejus quidem decreta ita perspicue et luculenter posita sint, ut non ab aliis alter explicarentur. Quod ipse quidem Aristoteles sentit, certe inconstantiae cujusdam semper quum Platonem tum praecipue discipulos ejus accusat.

Utcunque est, etsi reliquas, quae mediae interjacent, substantias praeterierit, ultimam illam tamen et absolutam, quae summi boni essentia est, ut accuratias determinaret et planam faceret, elaborasse Speusippum, loci omnes probant. Quodsi igitur quaeritur, quaenam haec substantia, ubi posita, quibus elementis effecta fuerit;

(1) Metaphys. p. 249.

(2) Dicit, in numeris substantiae cuique assignandis plerosque (quae praecipue de Platone dicta sunt) demonstrationem et partitionem hanc tantummodo tangere, inchoare, neque ad exitum persequi.

lucis aliquantulum locus in *Theologia Arithmetica*⁽¹⁾ affundit, ubi Speusippus de decadis natura scripsisse, eique omnes bonas, quaecunque inveniri possint, qualitates vindicasse traditur. Quo loco ego eo adducor, ut boni absoluti quasi ideam aut potius principium decadem a Speusippo existimatam esse, censem. Quum enim aliud alii substantiae principium tribueret, decadem vero numerorum perfectissimum arbitraretur: — etiam «τέλειον» «τελεία» substantia elementum adscriperit necesse est. Decas igitur principium summae substantiae erat, quae omnium ultimo, ergo perfectissimo gradu (*Metaphys.*, p. 249.) posita, bonum absolutam aut erat, aut continebat.

Res haec, satis per se obscura, diluceret fortasse, si appareret, cur Speusippus bonum ab uno distinxerit, et quam ei potestatem tribuerit. Stobaeus (*Ecl. phys.* I. c. 3) docet, habuisse Speusippum τὸν νοῦν οὐτε τῷ ἐν οὐτε τῷ ἀγαθῷ τὸν αὐτόν, ιδιοφυή δέ.

Qui νοῦς hic sit, explicare non possum; neque enim unde explicationem expromam, habeo, neque conjecturam facere licet; quum ne a Platone quidem, qualis νοῦς sit, perspicue et distincte exponatur. *Noῦς*, bonum et unum inter se differre, solum est, quod constat. Missis igitur, quae explanari non possunt, quaeritur, cur bonum atque unum idem esse negetur. Hoc loco Aristoteles interpretis vices expleat, qui eandem quaestionem persolvere conatur (*Metaph. XIV. c. 4. pag. 300 — 302*).

(1) Est locus hic p. 61. etc. ed. Astii. Jam prima verba, quanti aestimaverit decadem, evidenter demonstrant.

Instituitur ab Aristotele quaestio, utrum bonum in principiis, an in substantia vel substantiis, quae principiis generatae et ὑστερογενεῖς sint, quaerendum sit. (Plato τὸ ἐὸν boni; ἀπειρον et omnia, quae inde proficiscuntur, mali principium existimabat. Quod Aristoteles alio loco satis perspicue perhibet. Met. I. c. 6 p. 22. ἐτὶ δὲ τὴν τοῦ εὖ καὶ τοῦ πακῶς αἰτίαν τοῖς στοιχείοις ἀπέδωκεν ἐπατέροις ἐπατέραν). Gravissimam et difficillimam ratus quaestionem hancce Aristoteles, ipse principio quasi palmam tribuit (Metaphys. p. 301 v. 19—24); tum qua causa adducti sint nonnulli, ut bonum substantiis, principio de-mum effectis, assignent, explicat. Cujus opinionis primam gravissimamque causam in eo positam esse declarat, quod theologi et philosophi recentioris aetatis (Platonici intelliguntur) τὸ ἐὸν principium esse statuant, quo numeri generentur. Quod ad quantas et quam obscur-das ineptias (ἀποτα) ducat, omnia, quae inde consequuntur, planum faciunt. Unum enim, si bonum est, atqne simul pro numerorum principio et elemento sumitur, ergo omnes numeri, utpote uno effecti et generati, bona sunt. Quorum bonorum jam maxima per se copia tanto major erit, quanto major et idearum et rerum copia est. Quum enim sint numeri idem atque ideae, ideae autem praeter-terea, ut aliunde notum, etiam rerum essentiae sint: idcirco ideae, et cum ideis res, animalia, plantae et omnia, quaeque habent aliquam cum ideis societatem, in innu-merabilem bonorum multitudinem cadant, necesse est. Ita quot numeri, quot ideae, animalia, plantae, alia sunt: tot utique bona accipientur. Quid, quod elementum uni contrarium — sive multitudo, sive τὸ ἀνισον, sive magnum parvumque appellatur — quum res e contrariis princi-

piis generentur, — necessario malum absolutum est. Alterum enim elementum, τὸ ἔρ, bonum agnoscitur; itaque alterum, h. e. parvum magnumque, oportet malum sit.

Hunc in modum, quae essent in doctrina, unum pro elemento et principio accipiente, manca et imperfecta, quum monstrasset Aristoteles: rem ita expedit, ut Speusippum ineptiis hisce deterritum, quominus uni, illi numerorum principio, bonum perfectum tribueret, in bonorum ordine (*συστοιχίᾳ*) unum ponere, bonum vero ipsum summum et absolutum substantiae *νοτερογονεῖ*, ultimum summum et optimum gradum obtinenti, vindicare maluisse, affirmat.

Qua ratione. utcumque plausibilis esse videtur, veram explicari causam, cur Speusippus bonum summum ab uno distinxerit, probare dubito. Neque enim principio parvi et magni tribuenda mali natura, neque haec bonarum rerum idearumque multitudo perterrere eum potuit. Namque alterum dogma vere platonicum esse, ipsius Aristotelis testimonio supra demonstratum est. Alterum, si illud, quo ideae cum bono summo, res cum ideis copulatae sint, vinculum reputaveris, Platonis philosophiae non dissentire, libenter concedes. Rem enim singularem nec numero suo, neque ideae omnino adaequare, id quod Platonis philosophia semper et ubique docet, praecique tenendum est, ut intelligatur, quomodo res ideae, idea autem boni summi particeps esse possit, neque tamen eam ob causam ipsum bonum perfectum sit. IIIa igitur ratiocinatio quoniam secundum Platonis aut Speusippi ingenium instituta esse, mihi minime videtur: aliam causam anquirendam arbitrabar.

Iis, quae §. VIII. explicata sunt, eo adducor, ut

Speusippum omnia haec eam ob causam statuisse censem, quia Platonem bonum extra aut in rerum universitate agnoscere dubitantem, ita intelligere maluerit, acsi voluntate ultima Plato Deum summum illud, omnia quae exstant et cogitari possint, in unum totum comprehendens *εἰδος* (accuracye significatione) esse statuerit, quod — *ρῦς* omnia intelligens, dirigens et efficiens — sui ipsius naturam, quod bonum absolutum est, plane cognitam habeat, ut sui ipsius *ἰδεῖν*, ut boni ideam.

Quam meam opinionem, quum neque locis (1) neque auctoritate cuiusquam possit sustineri, pro certa non vendito; si tamen accepta fuerit, fortasse possit explanari, quomodo Speusippus *ρῦν* et bonum et unum discreverit.

XI.

Xenocrates.

Xenocrates, Agathenoris filius, Chalcedonius, primo XCVI Olympiadis anno natus est. Quum temporis aliquantum Aeschynis Socrati discipulus fuisse (2), etiam tum adolescens Athenas ad Platonem venit, cui tanto studio addictus erat, ut eum etiam in Siciliam

(1) Est tamen locus unus, qui causam meam sustentare videtur. Cic. *De natura deorum* I. c. 13. „Speusippus vim quandam dicens, qua omnia regantur, eamque animalem, evellere animis conatur cognitionem deorum.“ Id quod intimam illam, quam Speusippum docuisse arbitror, dei et mundi conjunctionem spectare videtur. Hujusmodi enim conjunctionem homines acimum subtilli et philosopho minus praediti semper, quem nos dicimus, pantheismum esse, judicant.

(2) Athen. p. 116. 507.

proficiscentem comitaretur. Ingenio moribusque severis et morosioribus fuisse Xenocratem, Diogenes Laertius pluribus narratiunculis memoriae prodidit (1).

Totum fere tempus, quod Athenis morabatur (habitatbat autem Athenis usque ad mortem), in Academia, ubi ut σχολαρχός domicilium habebat, transegit, ita quidem, ut eam nisi semel quotannis eo die, quo fabulae docebantur novae, nunquam relinqueret (2). Quo die sollempni hominum vitae voluptatibus deditorum turba circumfusus, quam abstinens, quam omnibus ad malum ille-cebris superior fuerit, exemplis luculenter Diog. Laertius demonstrat (3). Neque haec viri constantia atque virtus ab Atheniensibus non agnoscebatur: imo, quamquam hospes et μέτοικος erat, aestimabatur tanti, ut et legationes ad eum deferrentur plurimae (4) et ei soli, non jurato, in causis litibusque a judicibus fines haberetur (5).

(1) Diogenes Laertius IV. c. 6. ἦν δὲ τὴν φύσιν νωδῷός, ὥστε φασὶ λέγειν τὸν Πλάτωνα συγκρίνοντα αὐτὸν Ἀριστοτέλην Τῷ μὲν μίσακος δεῖ, τῷ δὲ χαλινοῦ. Severo semper ac serio habitu et ore erat ita, ut saepe ad eum Plato diceret: Ξενόκρατες, θύε ταῖς Χάρισι. (Etiam Plutarchus: ὁ μὲν οὖν Πλάτων τὸν Ξενόκρατη τὰλλα γενναιόν ὄντα καὶ μέγαν, ἀντηρότατον δὲ τῷ θύει, καρακάλει θύειν ταῖς Χάρισι).

Cf. Cicero Qu. A.c. I. 4. Tuscul. Disput. V. c. 18 („gravissimus philosophorum“).

De taciturnitate ejus Stob. Serm. XXXIII.

(2) Plutarchus de exilio. c. 10.

(3) L. IV. c. 7. Valer. Max. L. IV. p. 204.

(4) Quo in negotio quam justus, qum incorruptus fuerit, pluri loci testantur. Praeter Diog. Laert. Valer. Max. IV. p. 204. Cic. Tusc. Disputat. L. V. c. 32.

(5) Diog. Laertius.

Valer. Max. L. III, p. 118.

Nihilominus tamen, quum talis ac tantus vir esset, Athenienses aliquando eum vendiderunt, quia peregrinitatis tributum solvere non posset. Sed Demetrius Phalereus eum emit et utrisque succurrit: Xenocrati enim libertatem restituit, Atheniensibus tributum peregrinis in urbe habitantibus impositum Xenocratis loco exsolvit.

Postquam gravissima quae ad vitam ejus referuntur attulimus, etiam quae de philosopho et scholarcho sci mus apponenda sunt. Scholae quam a Speusippo suscepit, praefuit annos XXV. Docere autem cooperat sub Lysimachide, centesimae decimae Olympiadis anno secundo. Aetatis annum octogesimum secundum agens, mortuus est. Quo satis longo vitae spatio scripsit opera plurima, quorum nihil aetatem tulit nisi inscriptionses a Diogene servatae (1), tantamque consecutus est celebritatem, quanta Academicorum veterum gaudebat nullus. Etenim Xenocrates sine dubio eorum omnium longe praestantissimus est.

(1) Diogenes Laertius. L. IV. c. II. καὶ πλεῖστα ὅσα καταλέουσε συγγράμματα καὶ ἔπη, καὶ παραινέσεις, ἃ ἔστι ταῦτα. Quoniam longum est omnia enumerare, gravissima tantum transcripsimus. Περὶ τοῦ ἑνός. Περὶ τοῦ ὄντος. Περὶ τοῦ ἀοριστοῦ. Περὶ εἰδῶν. Περὶ γενῶν καὶ εἰδῶν. Περὶ ἴδεων. Περὶ ἀγαθῶν. Περὶ αἰσθανῶν. Ἀριθμῶν θεωρία. Πυθαγόρεια. Περὶ θεῶν. Περὶ ψυχῆς. Περὶ φύσεως. Περὶ εὐδαιμονίας. Περὶ πολυτείας. Περὶ ἀρετῆς, δικαιοσύνης. Οτι παραδοτὴ ἡ ἀρετή. Περὶ τῶν παθῶν. Περὶ τῶν Παρμενίδου. Τῆς περὶ τὸ διαλέγεσθαι πραγματείας Περὶ μαθημάτων τῶν περὶ την λέξιν λογικῶν. Τῶν περὶ ἀστρολογίαν. etc. etc.

Itaque omnes difficiles et obscuras in Platonis philosophia quaestiones hisce libris a Xenocrate tractatas fuisse videmus. Numeris autem praecipuum studium, et labor insumptus est, ita ut, quod in Theophr. Met. de Xenocrate commemoratur (Met. Ar. p. 313. ed. Brandis) facillime probari possit.

Licet uberiorem ad Xenocratis, quam ad ceterorum academiae veteris auctorum philosophiam exponendam habeamus materiam, atque multae de Xenocrate mentiones apud diversos antiquitatis auctores, praecipue apud Sextum Empiricum, Aristotelem, Plutarchum, Stobaeum, Ciceronem, alios inveniantur: timeo tamen, ut ad tam certum eas secuti exitum preveniamus, ad quem breviora illa neque ita multa, sed graviora et melius rem acu tangentia Speusippeae doctrinae vestigia duxerint. Dum enim hanc materiae undique coactae copiam perlustro, qua tota Xenocratis philosophiae moles restituenda est: paucissima, quae fundamento sint apta, plurima, quae pro cymatio ceterisque ornamenti feliciter adhiberi possint, video. Verumtamen si desunt, quibus ornamenta appendas, haec ipsa quid prosunt? — Singulari subtilitate, cura et diligentia philosophiae rem tractasse Xenocratem, quum omnibus, quae servata sunt, scriptis monumentis, tum eo etiam probatur, quod philosophiae in dialecticam, physicam ethicamque doctrinam divisio, quamvis jam a Platone observata fuerit, certum tamen et constantem auctorem, Sexto Empirico teste, Xenocratem demum habuit. (1)

Alterum subtilitatis et adeo siccitatis in demonstrando documentum ex illo loco colligi potest, ubi rem quamquam aut bonam esse aut malam, aut neque bonam neque malam, sed ad utrumque aequabiliter pertinentem

(1) Sextus Emp. Adv. Math. Lib. VII. § 16. ἀν δυνάμει μὲν Πλάτων ἔστιν ἀρχηγὸς, περὶ πολλῶν μὲν φυσικῶν, περὶ πολλῶν δὲ ηὔπικῶν, οὐκ ὅλιγων δὲ λογικῶν διαλεκτίσεις ἐγγράφαται δὲ οἱ περὶ τὸν Εενοχρατη καὶ οἱ ἀπὸ τοῦ Ηεριπάτου... ἔχονται τῆσδε τῆς διαιρέσεως.

demonstrat. Qui locus item apud Sextum legitur, isque minus sententiae quam formae causa memorabilis, Wolfii, philosophi germanici, in demonstrando rationem in memoriam revocat (1).

Maximi momenti locus est Sexti Empirici (*Adv. Math.* L. VII. §. 141—150) qui in rerum ex Xenocratis sententia distinctionem, itaque in mediam ejus philosophiam nos introducit. Ξενοκράτης δὲ τρεῖς φησιν οὐσίας εἶναι, τὴν μὲν αἰσθητὴν, τὴν δὲ νοητὴν, τὴν δὲ σύνθετον καὶ δοξάστην (opinabilem). ὁν̄ αἰσθητὴν μὲν εἶναι τὴν ἐντὸς οὐρανοῦ. νοητὴν δὲ, πάντων τῶν ἐκτὸς οὐρανοῦ. δοξάστην δὲ καὶ σύνθετον τὴν αὐτοῦ τοῦ οὐρανοῦ. οὐρατὴ μὲν γάρ εστι τῇ αἰσθήσει. νοητὴ δὲ δὲ Ἀστρολογίας. τούτων μέντοι τοῦτον ἐχόντων τὸν τρόπον, τῆς μὲν ἐκτὸς οὐρανοῦ καὶ νοητῆς οὐσίας κοιτήσιον ἀπεφαίνετο τὴν ἐπιστήμην. Τῆς δὲ ἐντὸς οὐρανοῦ καὶ αἰσθητῆς αἰσθησιν. τῆς δὲ μικτῆς τὴν δόξαν. καὶ τούτων κοινῶς, τὸ μὲν διὰ τοῦ ἐπιστημονικοῦ λόγου κοιτήσιον βέβαιόν τε ἱπάρχειν καὶ ἀληθές. τὸ δὲ διὰ τῆς αἰσθήσεως, ἀληθὲς μὲν, οὐχ οὔτω δὲ ὡς τὸ διὰ τοῦ ἐπιστημονικοῦ λόγου. τὸ δὲ σύνθετον, κοινὸν ἀληθοῦς τε καὶ φενδοῦς ἱπάρχειν. τῆς γὰρ δόξης, τὴν μὲν τινα, ἀληθῆ εἶναι, τὴν δὲ, ψευδῆ — etc.

Quae τῶν φύσεων distinctio quomodo cum philosophiae in tres partes divisione cohaereat et quomodo inter eas partes distribui possint naturae illae, non liquet. Τὴν νοητὴν φύσιν, quae est extra coelum, i. e. naturam, quae est in sola cogitatione, minime in loco aut tempore, ad partem dialecticam, nemine fortasse repugnante, remitto; quid contra cum reliquis duabus substantiis faciam,

(1) *Sextus Empiricus Adv. Math.* §. 3.

utram utri philosophiae parti tribuam, ambigo. Rerum enim sub sensus cadentium ad illam naturae opinabilis sive coeli proprietatem ratio subobscura est. Coelum enim corporaque coelestia nihil aliud, quam τα αισθητά esse possunt, neque ad alium ullum ordinem, nisi inter res sensibus percipiendas referenda sunt. At vero aliam secutus sententiam Xenocrates, coelum minime rem sui insciam, non vivam, sibi ipsi ignotam habuit, quod quum statueret, non modo a Platone, sed ne a vetustissima quidem antiquitate absconam amplexus est opinionem (1). Imo Stobaeus (Ecl. phys. I. p. 62) haud ambigue testatur, eum daemones corpora coelestia habuisse; totumque coelum vivum credidisse. Ξενοφάτης τὴν μονάδα καὶ τὴν δυάδα θεὸν, τὴν μὲν ὡς ἀρχέντα πατρὸς ἔχονσαν τάξιν, ἐν οὐρανῷ βασιλεύονταν, ἣν τινα προσαγορεύει καὶ Ζῆνα, καὶ περιπτόν, καὶ ροῦν, ὃς τίς ἐστιν αὐτῷ πρῶτος θεὸς, τῆς δὲ ὡς θήλειαν, μητρὸς θεῶν δικηρ, τῆς ὑπὸ τὸν οὐρανὸν λήξεως ἥγονμένην, ἡ τίς ἐστιν αὐτῷ ψυχὴ τοῦ παντὸς — θεῖον δὲ εἶναι καὶ τὸν οὐρανὸν, καὶ τὸν ἀστέρας πνωθεῖς ὀλυμπίους θεὸν καὶ ἐτέρους ὑποσελήνους δαίμονας ἀράτοντος. Apponantur, quae Plutarchus narrat horum similia: (De def. orac. ed. Reiske. 1777. p. 639).

(1) Timaeus p. 34. B. διὰ πάντα δὴ ταῦτα εὐδαιμονα θεὸν αὐτὸν ἐγεννήσατο. p. 68. E. ἦνίκα τὸν αὐτάρκη τε καὶ τελεώτατον θεὸν ἐγέννα.

De Legg. X. 886 D. ἥλιον τε καὶ σελήνην καὶ ἄστρα καὶ γῆν ὡς θεοὺς καὶ θεῖα ὅντα ὑπὸ τῶν σοφῶν τούτων ἀναπεκεισμένοι ἀντέροιτεν ὡς γῆν τε καὶ λίθους ὅντα αὐτὰ καὶ οὐδὲν τῶν ἀνθρώπειων πραγμάτων φροντίζειν δυνάμενα....

Timaeus p. 40. γῆν δὲ τροφὸν μὲν ἡμετέραν ἐμπχανήσατο, πρώτην καὶ πρεσβυτάτην θεῦν, ὃσοι ἐντὸς οὐρανοῦ γεγόνασι.

Hujusmodi documenta afferre possumus plurima,

Ξενοκράτης μὲν ὁ Πλάτωνος ἑταῖρος παράδειγμα ἐποίησε τὸ τῶν τριγώνων, θεῷ μὲν ἀπεικάσας τὸ ισόπλευρον, θρητῷ δὲ τὸ σκαληνὸν, τὸ δὲ ισοσκελὲς δαιμονίῳ. τὸ μὲν γὰρ ἵσον πάντῃ, τὸ δὲ ἄνισον πάντῃ. τὸ δὲ (δαιμόνior intellige) πῆ μὲν ἵσον, πῆ δὲ ἄνισον, ὃ σπερ ἡ δαιμόνων φύσις, ἔχοντα καὶ πάθος θρητοῦ καὶ θεοῦ δύναμιν, ἡ δὲ φύσις αἰσθητὰς εἰκόνας ἐξέθηκε καὶ ὁμοιότητας ὁραμένων θεῶν, ὡς ἥλιον καὶ ἀστρα, θρητῶν δὲ σέλα καὶ κομήτας καὶ διάττοντας. — Quibus congruentibus diversorum scriptorum testimoniiis, omni dubitatione sublata, Xenocrates Soli, Lunae, Planetis, Stellis crinitis, aliis corporibus coelestibus deorum, daemonum, aut hominum naturam dignitatemque vindicasse et quasi mortalium immortaliumque imagines oculis aspiciendas habuisse, indicatur.

Qua in opinione reliquisque Xenocratis sententiis haec duo, quae sunt ejus in cogitando atque intelligendo propria, animadverto. Alterum est singulare quoddam signis et figuris theologicis notiones exprimendi studium, quod tamen toti Academiae ipsique Platoni maxime usitatum est. Alterum, quod Xenocratem praecipue notat, in eo constat, quod ut in distinguendo diligens, ita in jungendo laxus fuisse videtur, parumque habuit illius in cogitando tenacitatis, quae res uni toti referendas dissipari non patitur, sed notionem unam ac simplicem artissimis vinculis contineat, minime vero in partes divellat, divulsasque, tamquam sui sint juris, distineat, ita ut et notionis cuiusque veritas evilescat, et sollers, creatrice vi praedita Θεωρίᾳ formam subtilis quidem, sed siccae, resque non ex se ipsa, sed aliunde continuo excipientis ἀναλύσεως accipiat. Quae proprietates, licet natura ita

contraria sint, ut copulatae rarissime inveniantur, in uno Xenocratis ingenio ita coaluerunt, conjunctaeque tantum habuerunt potestatis, ut qui ceteroquin accuratissimus in ratiocinando compertus sit, idem portentis miraculisque abundantem theologiam quasi somnians sit commentus, et eatenus a ratione vere philosopha desciverit. — Unum et dyadem, idearum rerumque omnium principia, quae nisi „διδασκαλίας ἔνεκα“ nunquam distinet Plato; quorum illud, unum dico, ne esse quidecum agnoscit Speusippus; unum et dyadem igitur Xenocrates, tamquam per se existent, separata ponit, deosque dicit (1), ita ut unum sive monas Jupiter, νοῦς, deus summus sit, et quasi pater in coelo dominetur; dyas vero sit mater, et mundi anima. Praeter quos deos duos singit etiam aliorum deorum daemonumque multitudinem, quibus coelum constet, et quorum alii videantur, alii minus; atque divini numinis praesentiam per rerum universitatem ita extendit, ut non modo hominis animam in daemonum ordinem reponat (2), sed rerum divinarum intelligentiam etiam animalibus tribuat (3).

(1) Cf. locum Stobaei supra citatum. Ecl. phys. I, p. 62.

Clem. Alex. Strom. V. p. 604. Ξενοκράτης τὸν μὲν ὑπατὸν Δία, τὸν δὲ νέατον καλῶν.

Plutarch. Platon. Quaest. (ed. Reiske Vol. X). οὐ καὶ Ξενοκράτης, Δία, τὸν ἐν μὲν τοῖς κατὰ τὰ αὐτὰ καὶ ὡςαύτως ἔχουσιν, ὑπατὸν καλεῖ, νέατον δὲ, τὸν υπό σελήνην.

(2) Arist. top. II. 6. καθάπερ Ξενοκράτης φησίν εὑδαιμονα εἰναι τὸν τὴν ψυχὴν ἔχοντα σπουδαίαν, ταύτην γὰρ ἐκάστη φίναι δαιμονα.

Stobaeus Serm. CIV. 24. δαιμονος κακίᾳ τοὺς πονηροὺς κακοδαιμονας ὀνομάζειν.

(3) Clem. Alex. Strom. V. p. 590. καθόλου γ' οὖν τὴν περὶ τοῦ θείου ἔννοιαν Ξενοκράτης οὐκ ἀπελπίζει καὶ ἐν τοῖς ἀλόγοις ζώοις.

In diis daemonibusque his explicandis longius morari, operae pretium non puto. Insunt enim sine dubio multa, quae sobria et philosopha ratione ne possint quidem explicari. Missis igitur rebus singulis, si generalem sententiam quaerimus, summamque ac principatum (*τὸ ήγεμονικόν*) in opinionibus illis ponendis respicimus; nihil Xenocratem, nisi numinis divini in mundo praesentiam omnibus his indicare voluisse, judico. Quod mundi cum Deo conjungendi studium et Platonis universae philosophiae propria laus est, et in Speusippi, quae quidem invenire potuimus, placitis fere omnibus obtinere videtur. Conjunctionis vero hujus naturam atque formam cum neque Plato accurate et perspicue explanatam tradiderit (cf. dissertationis hujuscet §. VIII), nec Speusippus tradidisse videatur: Xenocrates ideis principisque evidentem quandam veritatem tribuendi periculum fecit, neque tamen et ipse, quod voluit, secunda fortuna expeditiit.

Jam ad aliam, minus complicatam quaestionem, cuius solvendae certior et expeditior praesto sit ratio, accedamus, et, qualis animae secundum Xenocratem natura et definitio sit, pluribus scriptorum testimoniosis adjuti patesciamus. Quod illo Stobaei loco supra apposito dyas omnium mater et anima esse dicitur, id minus respicio, atque poetam potius quam subtilem et philosopham dicendi formulam accipere malo. Qui enim dyadem alterum numeri principium habuerit, et (sicut a Plutarcho indicatur verbis: «γένεσιν ἀριθμοῦ δηλοῦσθαι νομίζοντι τῇ μὲν τῆς ἀμερίστου ταὶ μεριστῆς οὐσίας) compositum demum utrisque principiis numerum, se ipsum moventem, animam esse, statuerit (quod etiam testimoniosis certis ostendetur) — hic idem

solan dyadem, quod numeri quasi dimidium demum est, rerum universitatis animam agnoscere non potuit. Nemo enim, nisi in accurate ratiocinando plane hospes, et totum et totius ejusdem partem rei uni et eidem comparat. Testimonia igitur, quibus ego fidem habeo, qui Stobaei locum ipsa multitudine superant, heec sunt: Cic. Tuscul. Quaest. I. 10. »Xenocrates animi figuram et quasi corpus negavit esse, verum numerum dixit esse, cuius vis, ut jam ante Pythagorae visum erat, in natura maxime esset.« Arist. Περὶ ψυχῆς. I. c. 2. §. 20. (ed. Bekkeri p. 6) ἔνοι — ἀποφηνάμενοι τὴν ψυχὴν ἀριθμὸν εἶναι πιεροῦντ' ἐαυτόν. Plutarch. De animae procreatione. (ed. Reiske. Vol. X. p. 205). Ἐπεὶ δὲ τῶν δοκιμωτάτων ἀνδρῶν τὸν μὲν Ξενοκράτης προληγάγετο, τῆς ψυχῆς τὴν οὐσίαν ἀριθμὸν ἀντὸν ὑφ' αὐτοῦ κινούμενον ἀποφηνάμενος, οἱ δὲ Κράντοι τῷ Σολιεῖ προσέθετο, μίγνυντι τὴν ψυχὴν ἐν τῇ νοητῇ περὶ τὰ αἰσθητὰ δοξάστης φύσεως etc.

XII.

Abstrusam hanc animae definitionem quo rectius aestimemus, Platonis ante omnia de anima investigemus sententiam. Quam quaestionem mira industria et sollertia absolvit jam Boeckhius, vir doctissimus illustrissimus in disputatione »Ueber die Bildung der Weltseele im Timäus (1), quam in re diffici et contorta expedienda libertissime ducem sequemur.

De anima, praecipue de mundi anima, quum nos occupet quaestio, primum Plato et Platonici quid de

(1) Daubs und Kreuzers Studien, III.

mundo ipso senserint puto dicendum. Mundum autem quoniam omnium, quae exstant et animadvertisuntur, complexum intelligo, quaeritur, utrum complexum hujusmodi Plato creatum et effectum aliquando, an sempiternum esse voluerit. Quod quum sine dubio omnium maximum philosophiae cujusque πρόβλημα sit (ex eo enim solo universa opinionum de Deo, de materia, de aeternitate, de tempore, quid multa, de rebus et divinis et humanis omnibus ratio pendet): omnes intendantur vires ingenii, ut Platonis summum et gravissimum decretum ea qua par est perspicuitate statuatur.

Creatum et fabricatum docebat Plato mundum(1), neque tamen ita creatum, ut in tempore haberet initium, habiturusque esset finem(2) sed nunquam senescentem(3) ad aeternitatis

(1) Tim. p. 28. b. σκεπτέον δ' οὗτον περὶ αὐτοῦ (τοῦ οὐρανοῦ) πάρετον πότερον η̄ ἀεὶ, γενέσεως ἀρχὴν ἔχων οὐδεμίαν, η̄ γέγονεν ἀπὸ ἀρχῆς τυνος αρξάμενος. γέγονεν. δρατὸς γάρ ἀπτός τέ ἐστι καὶ σῶμα ἔχων, πάντα δὲ τὰ τοιαῦτα αἰσθητά, τὰ δὲ αἰσθητά δοξὴ πέριλπτα μετὰ αἰσθήσεως, γιγνόμενα καὶ γεννητὰ ἐφάνη.

(2) Aristot. De coelo I, 10. p. 279. b. 32. ἢν δέ τινες βοήθειαν ἐπιχειροῦσι φέρειν ἑαυτοῖς τῶν λεγόντων ἀφθαρτον μὲν εἰναι, γενόμενον δέ, οὐκ ἐστιν ἀληθές. δύοις γάρ φασι τοῖς τὰ διαγράμματα γράφουσι καὶ στρᾶς εἰ. Ad quem locum Simplic. Schol. p. 488, b. 15. hanc addit: δοκεῖ μὲν πρὸς Επινοράτην μάλιστα καὶ τοὺς Πλατωνικοὺς ὁ λόγος τείνειν — οὗτοι οὖν γεννητὸν καὶ ἀφθαρτον λέγοντες τὸν κόσμον, τὴν γένεσιν οὐχ ὡς ἀπὸ χρόνου φασὶ δεῖν ἀκούειν, ἀλλ᾽ ἐξ ὑποθέσες εἰρημένην, διδασκαλίας χάριν τῆς ταξιδεως τῶν ἐν αὐτῷ προτέρων τε καὶ συνδετωτέρων —

cf. Plutarch. de animae procr. (Vol. X. ed. Reiske) p. 206.

(3) Timaeus p. 32. e. „ἀγῆρων καὶ ἀνοσον“ —

exemplum exstructum (1) per omne tempus duraturum (2). Quod ita intelligendum existimo, ut mundus creatus quidem, sed non in tempore verum una cum tempore creatus sit (3); ut mundi initium aut exitum quarere idem sit, atque temporis initium aut exitum quaerere, ut in rerum evidenti veritate (Wirklichkeit) mundus et fuerit et futurus sit semper: contra si cogitetur, cum intellectu supremo et creatore comparatus

(1) Tim. p. 28. c. εἰ μὲν δὴ καλός ἐστιν ὅδε ὁ κόσμος, ὅτε δημιουργὸς ἀγαθός, δῆλον ὡς πρὸς τὸ αἴδιον ἔβλεπεν —

(2) Quomodo mundus creatus, factus: et tamen semper durans et sensu quodam sempiternus, quomodo dico conirariae hae proprietates conjungi et uni rei assignari possint: ostendit ratio qua Deus daemones alloquitur. (Tim. p. 41. a.) θεοὶ θεῶν, ὃν ἔγὼ δημιουργὸς κατήρε τε ἔργων, ἢ δίκαιοι γενόμενα ἀλιταρέμουν γ' ἐδίλοντος . . . τὸ γε μὴν καλῶς ἀρμοσθέν καὶ ἔχον εὐλογεῖν κακοῦ. διὸ καὶ ἐπει περ γεγένησθε, ἀδάνατοι μὲν οὐκέτι εἰστε οὐδὲ ἀλιτοι τὸ πάμπαν, οὐ τι μὲν δὴ λυθῆσθε γε οὐδὲ τεύξεσθε θανάτον μοιρας, τῆς ἐμῆς βουλήσεως μείζονος ἔτι δέσμουν καὶ κυριωρέοντος ἔκεινων, οἷς ὅτι ἐγίγνεσθε ἔννεδεισθε.

(3) Tim. p. 37. d. ἦ μὲν οὖν τοῦ ζώου φύσις ἐπύγκανεν οὔσα αἰώνιος, καὶ τοῦτο μὲν δὴ τῷ γεννητῷ παντελῶς προσάπτειν οὐκ τὴν δυνατόν. εἰκὼ δέπινοιει κινητόν τινα αἰώνος ποιῆσαι, καὶ διακοσμην ἄμμα οὐρανὸν ποιεῖ μίνοντος αἰώνος ἐν ἐνὶ καὶ ἀριθμὸν ἰσῆσαν αἰώνιον εἰκόνα, τοῦτον ὅν δὴ χρόνον ὠνομάζαμεν. Ibid. p. 38. b. χρόνος δ' οὖν μετ' οὐρανοῦ γέγονεν. . . . τὸ μὲν γάρ δὴ παράδειγμα πάντα αἰώνα ἐστιν ὅν, δὲ αὐτὸς διὰ τέλους τὸν πάντα χρόνον γεγονός τε καὶ ὣν καὶ ἐσόμενος.

Bückh. I. 1. p. 24. „Die ganze sinnliche Welt ist demnach nicht ewig in einem absoluten Sinne, wohl aber hat sie eine Ewigkeit der Zeit; denn ohne sie war keine Zeit und wird keine sein. Dieses ist deutlich Platons Lehre, wiewohl über sie und zur Bestimmung derselben die Platoniker und Aristoteliker sich Köpfe und Hälse brechen.“

eodem modo, quo tempus cum aeternitate collatum, cedat et postponatur. — Itaque opinionem Plato secutus esse videtur Heracliti, qui mundum non tempore, sed notione (dem Begriffe nach) creatum esse voluerit.

Verum enim vero dogmate hoc posito, Plato ne materiam quidem, rudem dico needum formis constitutam materiam, admittere potuit. Si enim mundum, et ea, quae exstant, tempore exstisset negat, praeter materiam rebus creatis jam substratam, et inter τὰ εἰδη distributam alia materia, quae nondum occupata, et formis demum aliquando consignanda jaceat, neque opus est, neque cogitari potest. Unde fit, ut eam commemoret quidem, neque tamen ponat, quippe quae essentia caret et ὥμη ὄντα sit; essentiam vero materiae formis definitae et res efficienti tribuat (1).

Quibus explicatis, ad animam nos convertamus, primumque quomodo et ex quibus elementis orta sit, tum quam vim et potestatem habuerit Platoni anima, scrutemur. Pater deorum naturam creaturus intelligentia praeditam, cogitantem, ideis idoneam; neque eo minus in corporibus habitantem eaque dirigentem, et materiae participem, ut utramque conjungeret proprietatem, substantiam simplicem, quae nec dividi nec mutationi

(1) Boeckh, Ueber die Bildung der Weltseele im Timäus: p. 26. Man wird vielmehr mich für ungereimt halten, wenn ich läugne, nicht, dass er eine ewige, sondern dass er überhaupt eine Materie zur Weltschöpfung annimmt. Hat doch Aristoteles geglaubt, dass er (Plato) seinem Weltbildner eine solche unterlegt habe, die natürlich vor der Weltbildung dagewesen wäre, und die Platoniker und Aristoteliker grossen Theils, welche sich nur zanken, ob sie ungeschaffen sei von einer Ursache, oder geschaffen und von welcher Ursache.

obnoxia esse potest, atque substantiam mutabilem, multiplicem, quae corporum est, commiscuit, et tertiam ex duabus his perfecit substantiam, utriusque naturae participem; quo facto, tres has substantias ita disposuit, ut nova illa composita substantia inter illas esset media intimamque animae naturam efficeret; omnes vero tres, praeter contrarias et repugnantes potestates, inter se tamen copulatae, omni ex parte congruerent et quasi concinerent (1). Quam de animae ortu fabulam priusquam ex oratione poetica in philosopham convertere studeamus, quae sint duae illae substantiae, explanare oportet. Quicunque Platonis dialecticam cognitam habet, is nominibus illis principia nobis jam notissima, unum et dyadem significari, quae substantiarum harum naturae optime respondeant, uno oculorum obtutu animadvertis. Ita ex unius et dyadis (intelligentiae et corporis) coniunctione animam ortam esse, apparet, quod, cum elementis eum animam perfecisse referat (De anima I. 2.), ne Aristoteles quidem aliter a Platone intellectum esse existimavit (2).

Quam animae ortus narrationem tantum „διδασκαλίας ἔρενα“ exhibitam, ad verbum autem minime interpretandam esse, ipse animadvertis Plato, idemque, corpus atque animam auctoritate aetateque paria, aut adeo corpus quam animam antiquius habere: licet in fabula dici videatur, quam maxime vetat. Anima enim corpore prior (3), eadem omnis oriundi et intereundi, omnium

(1) Tim. p. 35. a.

(2) Boeckh, L. I. p. 37. sqq.

(3) Tim. p. 34. b. τὴν δὲ δὴ ψυχὴν οὐκ ὡς νῦν ὑστέραν ἐπιχειροῦμεν λέγειν . . .

mutationum causa est, quae et se ipsam movet et alia omnia. —

Ab hac animae explicatione nec abhorret ulla ex parte Xenocratis sententia, nec quidquam ad eam attulit novi. Quod enim alia adhibita est formula, id aut singulari mathematicae disciplinae rationisque amore, quo universa illo tempore tenebatur Academia, aut propria illa Xenocri in rebus definiendis subtilitate factum est. Verum tamen verbis mutatis sententia minime mutatur. Quum enim numerus (sicut §. IX. demonstratam est) unius et dyadis principiis efficiatur, eorumque rationem atque nexum una voce, uno quasi signo exprimat; facilime fieri potuit, ut naturae illius idealis et aeternae cum altero, mutabili illo et sensibus obnoxio elemento copulatio, quam Plato animam putabat esse, a Xenocrate numerus diceretur. Neque ego, numeri significatione posita, valde mirer, si quis brevem et dialecticam numeri formam poeticae illi copulationis voci praeferat, praesertim quum a Platone ipso, vixdam prolata, eadem vituperetur et corrigatur. Quod si vero numerus movendi potestatem, quam animae Plato vindicavit, ipse per se nondum habet: — „*κυροῦθ' ἐαντὸν*“ numerum hunc esse, addidit Xenocrates, ita ut ea, quae profert Plutarchus (De anim. procreatione ed. Reiske Vol. X. p. 205) ad excusandos eos, qui animam dicant numerum optime se habeant, neque in schola Platonis res excitentur novae (1).

(1) cf. Boccckh. Ueber die Bildung der Weltseele u. s. w. p. 39. Ut Xenocrates non modo vere platonicam, sed etiam elegantiissime expressam animae definitionem dedisse dicitur („Dies ist das Scharfsinnigste, was über unsern Gegenstand gedacht werden ist.“)

Qualis vero numerus hic sit, utrum idealis, an mathematicus, ad intelligendum difficillimum est. Sunt quidem in Aristotelis Metaphysicae libro M. duo loci (p. 259 sqq. et pag. 285), ubi diversae Academiae veteris de numeris opiniones referuntur, at tamen, quum nemo nominatim commemoretur, cui opinioni addictus fuerit Xenocrates, equidem statuere non audeo. Platoniconrum non nullos dicit Aristoteles eodem, quo Plato, modo numeros ideales et mathematicos distinguere et utrosque ponere (p. 259. *οἱ μὲν δύο ταῦτα γένη ποιῶσι, τὰς τε ἰδέας καὶ τὸν μαθηματικὸν ἀριθμόν*); alios ideales tantummodo (ibid. *οἱ δὲ μέν φύσιν ἀμφοτέρους* et p. 286. *τὸν ἄντον εἰδητικὸν καὶ μαθηματικὸν ἐποίησαν ἀριθμὸν τῷ λόγῳ, ἐπεὶ ἔργῳ γε ἀνήσται ὁ μαθηματικός*); alios denique solos mathematicos agnoscere *ἐπεροι δέ τινες τὰς μαθηματικὰς μόνον οὐσίας εἶναι φασι*). Ritterus Xenocri ultimam hanc vindicat opinionem. Ut cunque est, Xenocrates sive numerum illum idealem sive mathematicum esse voluit: majorem utique, quam vulgo numeris tribuitur, assignatam esse et vim et significationem, inde colligo, quod Academicorum nullus (ergo ne Xenocrates quidem) „*πάσας τὰς μονάδας ἀστραβλήτονς*“ voluit. (Ibid. p. 271 v. 1.) Itaque quoddam inter numeros discriminem fecisse, aliosque conjungi posse, alios minus, docuisse videtur. Quae si probantur, facultas majoris cujusdam potestatis et dignitatis numero illi assignandae conceditur. At incerta haec omnia esse, non infitior, neque mihi tantum sumo, ut rem ita obscuram a me omni ex parte illustratam esse arbitrer. —

Linearum individuarum quaestionem, quas docuisse et in quas omnia quae sunt ($\tauὸν ὄντα$) dissolvisse a nonnullis prohibetur, plane non intelligo, neque quomodo Xenocrates istius modi absurdia proferre potuerit, explicare mihi possum.

Locis, ubi mira ista opinio narratur, semel atque iterum lectis et reputatis, (Simplic. Comm. in phys. Arist. ed. Aldin. 30; Comm. in lib. de insecab. lin., qui vulgo Georgio Pachymerio adscribitur, c. 1) quum ad certain adduci sententiam non potuerim, omissa hac quaestione, ad ethica ejus me converto decreta, locosque, qui ea commemorant, conferendos. Hi, quos equidem novi, tres sunt. Clemens Alexandr. Strom. II, p. 419; Plutarch. de virtute morali (ed. Reiske vol. VII, p. 755). Ξενοκράτους λόγοι, ὃν ἐκεῖνος εἶπε περὶ τῶν ἀληθῶς φιλοσοφούντων, ὅτι μόνοι ποιοῦσιν ἔκονστας ἢ ποιοῦσιν ἀκορτες οἱ λοιποὶ, διὰ τὸν νόμον, ὡς περ ἵππο πληγῆς κυνός, ἢ γαλεοῦ ψόφῳ (rectius: γαλῆς φόβῳ) τῶν ἥδονῶν ἀπορεπόμενοι. — Cie. Tusc. V, 18. Xenecratem illum, gravissimum philosophorum, exaggerantem tantopere virtutem, extenuantem cetera et abjicientem, in virtute beatissimam vitam ponere.«

De quibus idem, quod de universa Xenocratis doctrinae indole judico. Quodsi quaeris, illa quo nitatur principio, ad quem tendat finem, et ex quo fonte emanet, quo denique consignata proferatur ingenio: — unum toti Academiae veteri commune fundamentum invenies, quod quasi moles infracta, temporibus superior, a Platone ipso jactum est. Accesserunt vero multa singula, quae pristinum ingenii monumentum nonnunquam sane illustrent, ornent, explanent; pluribus locis tamen, velut

additamenta, hominis manu fabricata, herois opus defor-
ment et corrumpant.

XIII.

Polemo et Crates.

Venimus jam ad eum locum, quo Polemonis et Cratetis philosophiae liniamenta, quantum ex paucissimis exilibusque scriptorum mentionibus conjici et designari possunt, describenda sunt. — Quos viros eorumque placita ut conjuncta simul recenseamus et aestimemus, ea re adducimur, quia et totam vitam mira amicitia juncti degerunt (1), et in philosophiae studiis eadem secuti sunt rationem, in eademque prae ceteris philosophiae parte, in ethica illustranda elaboraverunt. — Quo factum est, ut ad eundem in philosophando exitum pervenerint, et a plerisque historiae philosophiae scriptoribus, tamquam nobile par philosophorum, simul commoremarentur.

Polemo Atheniensis, pago Oeëtensi ortus (*Oἰηθεῖ*) Philostrati filius, quamdiu adolescens erat, minime exemplum recte vivendi imitando dignum proponi poterat; neque quisquam, sapientem eum aliquando et aequalium quum in agendo tam in sentiendo magistrum futurum, credebat. Effrenati enim mores turpissimaque vita ejus eo jam impudentiae processit, ut per totam urbem famosus esset, atque tanto demum viro, quantus Xenocrates erat, opus esset, qui eum ad rectum et honestum vivendi modum revocaret. Quem ad virtutem redditum ut Dioge-

(1) Diag. Laert. Lib. IV. cap. 21. Per totam vitam eadem expertentes ad extremum paene spiritum („ἀποτνοήν“) alter alterius fuisse similis et mortui eodem sepulcro conditi esse dicuntur.

nes Laert. (Lib. IV, cap. 16) ita etiam Valerius Maximus narrat (Lib. VI, ed. Basil. 1562 p. 353); eundemque Horatius (1) tangit. Ebrius enim et caronatus quum aliquando, simul cum sodalibus per urbem *κομάξων*, in Academiam irrupisset, ubi Xenocrates, temporis illius scholae praefectus, orationem de temperantia habebat; hic in disserendo minime se interpellari passus, qua erat constantia et gravitate, vivum intemperantiae exemplum ante oculos habens, eo eloquentius ardentiusque rem explicare perrexit, atque id effecit, ut impurus ille et perversus adolescens, Xenocratis eloquentia victus, sensim non modo inter dissipulos ejus ceteros quum studio et industria tum praceptoris amore (2) praestaret, sed etiam, quum Xenocrati mortuo in schola regenda successisset, scholarchus clarissimus factus sit, unaque cum Cratete heros aliquis, meliorumque temporum reliquiae haberetur (3). Scholae Polemo praeerat annos XLIV, inde ab anno, quo Xenocrates diem obiit supremum, trecentesimo quarto decimo, neque ad ducentesimum septuagesimum, quo anno (Eusebio teste) ipse jam senex mortuus est (4), scholamque Crateti regendam, reliquit, qui

(1) Horat. Sat. II, 3 v. 253.

. . . quaero, faciasne, quod olim
Mutatus Polemon? ponas insignia morbi,
Fasciolas, cubital, focalia, potus ut ille
Dicitur ex collo furtim carpsisse coronas,
Postquam est impransi correptus voce magistri?

(2) Diog. Laerti. L. IV c. 19.

(3) Ibid. c. 22. ἐνδεν καὶ Ἀρχεσίδαον μετελθόντα ταρά^τ
Θεοφράστου πρὸς αὐτοὺς λέγειν, ὡς εἰν δεοί τινες, η̄ λεί-
ψανα τοῦ χρυσοῦ γένους.

(4) Idem c. 20. ἐτελεύτησε δὲ γηραιὸς η̄δη ὑπὸ φθίσεως
ἰνανά συγγράμματα καταλιπών, quae tamen non nominat.

et ipse Atheniensis, patre Antigone natus, pago Thriasius fuit, Polemonis simul et discipulus et amator (1).

Quum neque, quos scripserint libros Polemo et Crates, notum nobis sit, neque apud alios scriptores inventiamus mentiones tales, quae philosophiae eorum naturam nobis indicent: fieri non potest, ut quam diligentiam et industriam in Speusippi Xenocratisque ratione explicanda adhibuimus, eandem etiam ad hos conferamus, In qua re quam maxime dolendum, quod Polemoni illisque ceteris Academiae philosophis, qui deinceps scholarchi successerunt, tam sollerter accuratumque apud veteres scriptores judicem ut invenirent non contigit, quem illi primi duo, Speusippus et Xenocrates adepti sunt. Quam fontium inopiam neque auxiliis aliunde haustis compensare possumus, et Aristotelem alterum desiderantes duos tantummodo Ciceronis, unum Diogenis L. locum habemus, quibus via, qua ad illos accedimus philosophos, aliqua ex parte praemunitur. Inde quod cognoscimus, tantum est: Polemonem dialecticam philosophiae partem parum aut prorsus non tactam praeterisse, ethicam contra adamatam sibi maxima cura investigasse librisque scriptis illustrasse; omnem igitur sapientiae vim et dignitatem minus in cogitationibus altis, subtiliterque et distinete dictis, quam et recte et honeste, secundum naturam vivendo sitam esse voluisse. — Haec igitur cum sola scriptorum illorum mentionibus nobis

(1) Id. c. 21. — tum c. 23. τελευτῶν δὲ ὁ Κράτης ἀπέλιπε βιβλία, τὰ μὲν φιλοσοφουμένα, τὰ δὲ περὶ κωμῳδίας, τὰ δὲ λόγους δημηγορικοὺς καὶ πρεσβευτικούς. ἀλλὰ καὶ μαθητας ἐλλογίμους (v. c. Ἀρκεσίλαον καὶ Βίων τὸν Βορυσθενεῖην.)

tradita sint (1): nihil jam restat nisi ut attentissime hanc Polemonis sententiam expendamus, eamque cum Platonis ipsius doctrina comparemus.

Quod Polemonis praecipue proprium est, quo ab aliis, non tam a Cratete Crantoreque, quam a Speusippo et Xenocrate potissimum differt, id in eo maxime constare puto, quod assiduam et singularem operam ethicae philosophiae parti navavit. Quod mihi majoris esse momenti videtur. Etsi enim locum illum Diogenis Laertii non haberemus, qui meam comprobat sententiam: illud soluū jam indicat, Polemonem in homine omne veritatis et boni judicium ac notam, quod vulgo dicunt criterium, posuisse. Apud Platonem omnes philosophiae partes, vel. quod idem est, omnes illius unicae, quae est et regit quaeque, ideae partes pari amore, aequabili industria, tractatae et illustratae sunt. Deus, ideae, bonum ipsum; respublica, homo, virtutes; mundus, corpora, cetera omnia suum proprium in philosophia habent et locum et investigationem. Nusquam enim numen divinum non aspiciebat Plato, quod animadvertere et recte intelligere summam rationis humanae ducebat praestantiam. —

(1) Cic. De finibus IV, 6. Cum planissime Polemo secundum naturam vivere sumnum bonum esse dixisset. — Id. Ac. Quaest. II, cap. 42. „honeste vivere fruentem rebus iis, quas primas homini natura conciliet, vetus Academia censuit, ut indicant scripta Polemonis.

Diog. Laert. L. IV. c. 18, ἔφασκε δὲ ὁ Πολέμων, δεῖ ἐν τοῖς πράγμασιν γνωμάζεσθαι, καὶ μὴ ἐν τοῖς διαλεκτικοῖς θεωρήμασι, καθάπερ ἀρμονικόν τι τέχνιον καταπιόντα καὶ μελετήσαντα· ὡς κατὰ μὲν τὴν ἐρώτησιν θαυμάζεσθαι, κατὰ δὲ τὴν διάθεσιν ἑαυτοῖς μάχεσθαι.

Minus jam Xenocrates, qui omnes has diversas, quamquam ad unam pertinentes veritatem, partes aequabili ratione et quasi pari in momento sustineret, idoneus erat. Turbatur jam mira illa inter partes congruentia; aliae aliis plus valent, ita ut pars dialectica, mathematicis formulis implicata, totam paene occupaverit philosophiam. Ad tunc contraria accidisse videmus. Res a Xenocrate neglectas primo loco collocat Polemo, qui non in absolute investigenda, sed in factis et vita exprimenda veritate omnia vult esse posita. Itaque boni ipsius per se cogitandi, aliasque hujusmodi disquisitiones mittit; verum quid in homine bonum, quae hominis *εὐδαιμονία* sit, assidue scrutatur, ita, ut totam philosophiam ethicis dogmatis, totam veritatis vim hominis pectore inclusisse videatur. In homine, hominisque natura animus ejus elaborabat exploranda, »secundum quam honeste vivere, fruentem rebus iis, quas primas homini natura conciliet, summum bonum esse« declaravit. Ubi maximam partem opinionem Socratis Platonisque germanam et genuinam profert, et ut illi homini nulli, nisi virium actionumque omnium et totius vitae aequabilitate et quasi concentu instructo, atque intima animae concordia praedito felicem et beatam vitam assignat. (Rp. IX. 580. c. τὸν ἀριστόν τε καὶ δικαιότατον εὐδαιμονέστατον ἔχοντε — τὸν δὲ κάκιστόν τε καὶ ἀδικώτατον ἀθλιώτατον). Item Res publica felici et bona conditione tum demum gaudet, quum civium ordo suo quisque officio fungitur, alia vero opera, quae viribus et conditioni suae non respondent, intacta praeterit et aliis administranda relinquit. Cujusmodi munerum inter cives distributio vera reipublicae harmonia est, quae, si a civibus observatur et fideliter

sustentatur, appellatur Justitia. Justitia vero virtus summa et quasi ceterarum virtutum conditio et fundamentum est (cf. Reipublicae lib. IV). — Est tamen, quod a Platonis sententia discedere videatur. Vivere secundum naturam, vel honeste idem quidem esse potest, quod vivere sancte et eximia virtute esse: nullo modo tamen etiam illam vivendi rationem significat, ubi virtus non modo exercetur et colitur, verum etiam nascitur; ubi quisque non modo probe vivit, sed etiam scit, se probe vivere, et cur probe vivat. Qua vivendi ratione nihil Plato majus, nihil vera virtute dignius habuit. Etenim ea demum virtus vera est, quae cum cognitione conjuncta probe et honeste factis esse se veram scientiam comprobat; virtus autem sui ipsius atque boni notitia orba (ut in Prot., Philebo, aliis dialogis demonstratur) inferior et quodammodo nondum tota virtus est. —

XIV.

Crantor.

In antecedentibus quum fontium ope destituti pauca tantum de Polemone proferre et statuere potuerimus, tum de ultimo hoc, ad quem accedimus, academiae veteris philosopho ne tantum quidem dicere licebit. Natus est Crantor Solis (Diog. Laert. L. II. c. 24 sqq.), vitam tamen degebat Athenis, ubi una cum Polemone Xenocratis scholas frequentabat. Solus est ille inter quinque philosophos, in quorum placita examinanda operam insumimus nostram, qui scholarchi munere in Academia non functus est. Namque immatura morte abreptus, Polemonem et Cratetem superstites relinquit (1), ita ut

(1) Diog. Laert. IV. c. 27.

Xenocrati Polemo, Polemoni autem Crates successsrit; Crantor vero auditor solummodo et discipulus famae non minisque celebritatem consecutus est, quum aliis libris scriptis (1), quos nominatim enumeratos non habemus, tum etiam nobilissimo illo de luctu, qui ad Hippoclem scriptus esse videtur et aureus a Cicerone libellus dicitur (2).

Unus servatus nobis est apud Plutarchum locus, ubi Crantoris definitio animae commemoratur. De animae procreat. Vol. X. p. 206. οἱ δὲ περὶ τὸν Κράντορα μάλιστα τῆς ψυχῆς ἴδιον ὑπόλαμψάν τοις ἔργον εἶναι τὸ κύριεν τὰ τοντὰ καὶ τὰ αἰσθητὰ, τὰς τε τούτων, ἐν αὐτοῖς καὶ πρὸς ἄλληλα γινομένας διαφορὰς καὶ ὁμοιότητας ἐκ πάντων φασὶν, ἵνα πάντα γινώσκῃ, συγκεκράσθαι τὴν ψυχήν. Quae haec nū dicta sunt, non modo Platonis ipsius. sed paene omnium philosophorum opinionem repetunt, neque (ut unum pro multis excitemus) Empedocles aliud quid significare vult, quum dicit:

γαίη μὲν γὰρ γαλαῖ ὀπώπαμεν, ὕδατι δὲ ὕδωρ,
αἴθερι δὲ αἴθερα δῖαν, ἀτὰρ πνῷ πῦρ ἀΐδηλον,
στοργῇ δὲ στοργὴν, τεῖνος δὲ τείκεϊ λυγῷ.

Plutarchus ita pergit: ταῦτα (elementa, quibus mixta est anima) δὲ εἶναι τέτταρα, τὴν τοντὴν φύσιν ἀεὶ κατὰ τὰ αντὰ καὶ ὡσαύτος ἔχονταν, καὶ τὴν περὶ τὰ σώματα παθητὴν καὶ μεταβλητὴν ἔτι δὲ τὴν ταῦτον καὶ τοῦ ἔτερον, διὰ

(1) Diog. Laert. IV, c. 24 et 25.

(2) Libri hujus pauca et exilia fragmenta inveniuntur in Plut. (ed. Reiske Vol. VI.) Consol. ad. Ap. p. 437; p. 388; p. 389; p. 395; p. 434.

Cic. Tusc. III. 6. „Minime, inquit (Crantor) assentior iis, qui istam nescio quam indolentiam magnopere laudant, quae nec potest esse ulla, nec debet.“

τὸ οὐκείνον ἐκατέχειν μετέχειν, ἔτερότητος καὶ ταύτότητος. (Nimius hic elementorum numerus Platonis omnino alienus est, qui duo tantummodo docet elementā). ὁμολῶς δὲ πάντες οὗτοι χρόνῳ μὲν οἰόνται τὴν ψυχὴν μὴ γεγονέναι, μηδὲ εἶναι γεννητὴν, πλεόνας δὲ δυνάμεις ἔχειν, εἰς ἃς ἀναλόγονται, θεωρίας ἔνεκα τὴν οὐσίαν αὐτῆς, λόγῳ τὸν Πλάτονα γενομένην ἐποίθεσται καὶ συγκεφανυμένην. (Cf. §. XII, ubi, eandem Platonis sententiam esse, invenies). τὰ δὲ αὐτὰ καὶ περὶ τοῦ κόσμου διανοούμενον, ἐπίστασθαι μὲν αἰδίοις οὖτα καὶ ἀγέννητον, τὸ δὲ φρόνιμον συντέτακται καὶ διουκεῖται καθαμαθεῖν οὐ γάδιον ὄρῶντα τοῖς μήτε γένεσιν αὐτοῦ, μηδὲ τῶν γεννητικῶν σύνοδον ἐξ ἀρχῆς προνοοθεμέοις, ταύτην τὴν ὁδὸν τράπεσθαι.

Nescio, quid sibi velit Plutarchus, quum dicit, et Crantorius et Xenocratis animae definitionem a Platonis opinione abhorrere.

Quae falsa opinio ut refutetur, nihil nisi attentius locum inspicere opus est. Est sane, quod unde venerit, nesciam; at hoc non tanti facio, ut totam sententiam evertere posse videatur. Dico magnam illam naturarum sive principiorum multitudinem, quae et Platonis ignota est, et ratione caret; nam ἡ ταύτον φύσις eadem est atque ἡ νοητὴ φύσις ἀεὶ κατὰ τὰ αὐτὰ καὶ ὀςαντως ἔχονσα. et ἡ τοῦ ἐτέρου φύσις eadem est atque ἡ περὶ τὰ σώματα παθητικὴ καὶ μεταβλητή. Quid causae est igitur, cur idem et unum bis afferatur, tamquam res duas diversas efficiat? —

At haec minoris momenti sunt, quam quae novam, a Crantore demum excogitatam notionem statuere possint (1). Imo, nisi eum Platonis philosophiae peritissi-

(1) Etiam Bücklius (Ueber die Bildung etc. p. 40) Krantors Erklärung ist im Grunde dieselbe (atque Platonis et Xenocratis)

mum, et πρῶτον τὸν Πλάτωνος ἐξηγητὴν (1) fuisse scirem : — mirarer, quod sententias, mysticis et fabulosis narrationibus ita abditas, qualia illa in Timaeo de anima dogmata sunt, tam accurate ut rimaretur recteque perciperet et explicaret, idoneus fuerit.

XV.

Cratete mortuo, ad Socratidem quendam scholarchi dignitas delata, neque tamen inita est. Quam utrum ipse recusaverit, an eum alii munere dejecerint, non constat. Verum tamen a Diogene Laërtio (2), ipsum ultro primum in academia locum Arcessilao concessisse, indicari videtur, qui eum etiam obtinuit, floruitque vigesima et centesima Olympiade, Demetrio Poliorcete Athenis dominante.

Arcessilai, philosophi platonici, qui Polemonem (3) et Crantorem (4) audivisse traditur, doctrinam quisquis reputat, is imparatum se offendere in re inexpectata negare non potest. Tantam enim ille in constituta jam Academia effectis mutationem, quantam in universa rerum humanarum memoria raro accidisse invenies. In quo quum omnes paene scriptores, qui ad illius temporis philosophiam animum applicuerunt, consentiant: Ciceronis unius pro multis aliis apponatur sententia: »Nonne jam

nüchtern vorgetragen, und so ist's beinahe mit allen andern ; nur werden sie immer moderner, je weiter sie vom Alterthum entfernt sind.

(1) Ita dicitur a Proclo (in Timaeum L. I.)

(2) Ἀρχεσίλαος — κατέσκε τὴν σχολὴν ἐν κωρῷ σαντος αὐτῷ Σωκρατίδου τινός.

(3) Diog. Laërt.

(4) Cic. De Orat. III, 18.

cum philosophorum disciplinae gravissimae constitissent, tum ut exortos est in optima republica Tib. Gracchus, qui otium perturbaret, sic Arcesilas, qui constitutam philosophiam everteret? «

Alienum a re proposita est doctrinam Arcesilai enarrare et explicere. Jam enim ille ad medium vel, ut alii volunt, ad novam pertinet Academiam, cuius ipse auctor exstitit, ratione pristina magis dogmatica convulsa et eversa, et nova, quam dicunt ἀπορηματική, stabilita. Ne tamen in dubio relinquatur, quomodo fieri potuerit, ut a via certa, tempore ipso sancita, qua inde a Platone quinque deinceps magna cum gloria jam processissent philosophi, ad novam paene contrariam tota detorquetur schola: difficilem et quasi praeruptum a vetere ad medium Academiam transitum monstrare et illustrare vixum est. Errare mihi videntur, qui sicut Augustinus (in libro contra Acad.) putent, Arcesilaum aliis, extraneis causis impulsum, dogmaticam Academiae disciplinam deseruisse, temporumque indoli, quae fuerit sceptica, accommodare se maluisse. Neque enim doctrina ejus plane sceptica est, neque tantum a Platonis decretis descivit, ut in illa continuum unius et ejusdem philosophiae, in hominum sollertia animis reconditae, modum ac progressum agnoscere non debeamus. Mihi contra persuasum est, ἐποχῆς hujus, qua tota Arcesilai conditio et ingenium stet, causam in ipsa Platonis philosophia absconditam latere, neque aliudquidquam factum esse, nisi ut sparsa jam tunc semina, quum tempus idvenisset idoneum, suas egerint radices; fructusque ederint. Pertinere huic judico omnia, quae Heracliti dogmata in Platonis philosophia efficere et quasi vestigia relinquere potuerint.

Quae profecto fuerunt permagna et tantum habuerunt potestatis, ut adversus generalem illam et gravissimam Socratis opinionem, qui in hominis conscientia bonum positum esse volebat, nunquam tamen contigerit Platoni, ut in rerum creatarum universitate idearum veritatisque aspiceret sedem, et certo, ultimo, omni ambiguitate superiore vinculo diversa illa elementa aut conjungeret aut saltem ut ejusdem momenti aequaret. Pluribus dissertationis nostrae locis oblata erat facultas demonstrandi, quomodo ille ea modo distinuerit, modo copulaverit, et quam ipse plane sensisse videatur, se parum rebus corporeis tribuere dignitatis, easque nimis et longius, quam fas esset, ab idearum et generis notionum commercio amovere. Tum quidem corrigebat, artioremque declarabat esse rationem, quam inter se haberent, rerum creatarum complexum hominisque naturam altius evehebat, Dei propinquitati consecrabat; nunquam tamen id quod unice expetebat, ita peregit, ut praeter conatus et studii illius vestigia, quae ubique manifesta sunt, certi quid, quam decerneretur. Quod vero studium non ejus modo, sed omnium, qui eum secuti sunt, maxime proprium est. Quemcunque enim illorum quinque, quos tractavimus, respicere vis, luctantem omnibus viribus invenies, ut in re singula quaque numinis divini potestas monstretur. At vana nec necessaria haec erat luctatio: vana quidem, quia rem talem moliebantur, quae philosophi platonici viribus erat superior; non autem necessaria, quia acta agere conabantur. Jam enim magnum illud opus ab Aristotele (cf. §. VI.) exactum, atque ita exactum orat, ut ille re vera Platonis philosophiam ad illum, quo tendebat, perduxerit, exitum; illi vero philosophi, mira, quam-

vis pia et laudanda apud Platonem haerentes obstinatione, modo in dialectica, modo in mathematica (1), modo ethica arte toti defixi, parum tantummodo studii ad philosophiam, quae totius generis humani gloria est, contulerint.

Erat tamen aliquis laboriosae illi contentioni ac studio modus ac finis statuendus, ut res cogitatione sola percipiendae, atque res sensuum materiaeque aut tandem coalescerent, aut omnino dirimerentur. Illud jam pridem ab Aristotele peractum erat; hoc peragendum Arcesilaus suscepit. Qui omnibus, quaecunque inter cogitationem et existentiam a Platone posita sunt media, exemptis ac sublatis, duos unius veritatis modos ita separavit, ut nulla amplius relinqueretur eorum inter se ratio, neque ulla rei cuiusquam singularis cogitandae et judicandae daretur potestas. Quodsi vero omnes cogitationi ad rerum singularium universitatem aditus interclusi sunt, neque ulla ponitur regula, ad quam vere

(1) Quantum in Academia vetere ars mathematica habuerit momenti, praeter alios liber, qui inscriptus est *Επίνομις*, documento esse potest. Quo in libro quum aliae tum haec quaestio ponitur (ed. Ast. Lips. 1814. p. 499) quaenam sit scientia, quae „σοφία λέγοιτ̄ ἀν̄ ὅντως τε καὶ εἰκότως, atque hominem quemque ut civem ita imperatorem bonum et perfectum reddere possit. Responsio vero haec est: ὅτι scientia ἡ τὸν ἀριθμὸν δοῦσα παντὶ τῷ θυητῷ γένει τοῦτ̄ ἀν̄ δράσεις, δεὸν δ' αὐτὸν μᾶλλον ἢ τινα τυχην̄ ἥγονται δόντα ἡδὺν σώζειν ἥμας.

Ibid. p. 500. ἔτι δὲ σμικρὸν ἐκανελθόντες πως τοῖς λόγοις ἀναμνησθῶμεν, ὅτι καὶ μαλ̄ ἐνοήσαμεν, ὡς, εἴπερ ἀριθμὸν ἐκ τῆς ἀνδρεωνίης φύσεως ἐξέλοιψεν, οὐκ ἀν̄ ποτέ τι φρονύμοι γενοίμεθα. Quae subsequuntur, sine numero neque vitam beatam neque sapientiam, nec celeras virtutes et artes constare posse, demonstrant. (πάντα δ' ἀκολεῖται τὸ παράπαν, ὅταν ἀριθμητικὴν τις ἀνέλῃ.) Tanti ne Plato quidem ipse aestimabat mathematicam artem.

judices et rectas opiniones (*συγκαταθέσεις*) statuas: nihil reliquum est, nisi ut nihil statuatur. Atque nullam declarare sententiam, sed semper assensionem retinere (*ἐπέχειν*), sapientis cujusque esse, re vera Arcesilaus ratus est. (cf. Sext. Emp. Adv. Math. VII. §. 150 — 155. οἱ δὲ περὶ τὸν Ἀρκεσίλαον προηγομένως μέν, οὐδὲν ὥρισαν κριτήριον etc.) —

Arcesilaus igitur Platonicus esse nullo modo desiit; imo Platonis placita maximo habuit honore (1), et non modo ea alios docuisse, verum etiam ipse quasi dogmata coluisse traditur (2). Nisi quod iis tantam non tribuebat veritatem, ut falsa eadem esse non possent. Cogitationem enim ipsam per se (*κατὰ τὴν φύσιν*) cum re conjunctam esse, negabat, ita ut homine demum opus esset, qui eas conjungeret (*συγκαταθῆμι*). Cujus in arbitrio quum nulla veritatis nota ac judicium, quod criterium dicunt, esset repositum: melius ducebat nullam, quam falsam aut utique incertam proferre opinionem (3).

(1) Diog. Laert. Lib. IV. e. 32. ἐψκει δὲ θαυμάζειν καὶ τὸν Πλάτωνα, καὶ τὰ βιβλία ἐκέπτητο αὐτοῦ.

(2) Sext. Emp. Pyrrh. Hyp. §. 234. εἰ δὲ δεῖ καὶ τοῖς περὶ αὐτοῦ λεγομένοις πιστεύειν, φασὶν ὅτι κατὰ μὲν τὸ πρόχειρον Πυρρώνειος ἐφαίνετο εἶναι, κατὰ δὲ τὴν ἀλήθειαν, δογματικὸς ἦν. καὶ ἔκει τῶν ἑταίρων ἀπόπειραν ἐλάμβανε διὰ τῆς ἀπορηματικῆς, εἰ ἀρχῶς ἔχουσι πρὸς τὴν ἀνάληψιν τῶν Πλατωνικῶν δογμάτων, δόξαι αὐτὸν ἀπορητικὸν εἶναι. τοὺς μὲν τοιχεῖς εὑρίστη τῶν ἑταίρων, τὰ Πλάτωνος, καρεγγχείσειν.

(3) Sext. Emp. Pyrrh. §. 233. λέγει δὲ καὶ ἀγαθὰ μὲν εἶναι τὰς κατὰ μέρος ἐποχὰς, κακὰ δὲ, τὰς κατὰ μέρος συγκαταθέσεις. ὅτοι πλὴν εἰ μὴ λέγοι τις, ὅτι ἡμεῖς μὲν κατὰ τὸ φαινόμενον ἡμῖν ταῦτα λέγομεν, καὶ οὐδιαβεβαιωτικῶς, ἐκεῖνος δὲ ὡς πρὸς τὴν φύσιν. ὥστε καὶ ἀγαθὸν μὲν εἶναι αὐτὴν λέγειν τὴν ἐποχὴν, κακὸν δὲ, τὴν συγκατάθεσιν.

Inde etiam factum est, ut ipse nullum librum (1) a se scriptum reliquerit. —

Ibid. §. 232. οὐτε γὰρ περὶ ὑπάρχεως η̄ ἀνυπαρξίας τινὸς ἀποφαινόμενος εὑρίσκεται, οὐτε κατὰ πίστιν η̄ ἀπιστίαν προκρίνειν τι ἐπέρον ἐπέρον, ἀλλὰ περὶ πάντων ἐπέχει. καὶ τέλος μὲν εἴναι τὴν ἐποχὴν, η̄ συνεισέγγεσθαι τὴν ἀταραξίαν ἡμεῖς ἐφάσκομεν.

(1) Diog. Laert. IV. c. 32. οὐδὲ βιβλίον, φασὶ τινες, συνέγραψεν. οἱ δὲ, ὅτι ἐφωράδη τινὰ κατορθῶν, ἃ φασιν οἱ μὲν ἐκδοῦνται, οἱ δὲ κατακαῦσται.





V I T A.


Natus sum Antonius Małecki Obiezierze, pago Magni Ducatus Posnaniensis, anno h. s. XXI. patre Matthaeo, matre Rosalia e gente Litwinowicz, addictusque fidei catholicae. Primis litterarum rudimentis domi imbutus, puer tredecim annorum quum Gymnasii Posnaniensis disciplinae traditus, atque ab Ill. Sto c, illis temporibus directore, receptus essem: litteris, quae ibi docebantur, tantum impendebam operaे, [ut septem annorum spatio interjecto, testimonio maturitatis instructus, almam hanc universitatem litterariam Fridericam Guilelmam, in philosophiae locaturus operam studiis, adirem. Ubi anno h. s. XLI, mense Novembri, Ill. Dieteric Rectore Magnifice, apud Ill. Ranke, ordinis Philosophorum t. t. decanum, nomen rite professus, per tres annos in studiis meis duces habui: in litteris antiquis Viros Illustrissimos Böckh, Zumpt, Lachmann; in philosophia Ill. Ill. Trendelenburg, Hotho, Michel; in historia Ill. Ill. de Raumer, Ranke, Schmidt; in litteris slavicis Ill. Cybulski. Quorum Virorum omnium in me merita ut grato nunc animo agnosco: ita nulla unquam apud me delebit oblio.

THESES.

1. Platonis numeri exponentes sunt, neque aliam evidentem explicationem admittunt.
 2. Qui philosophi, velut Origenes, oportere docent, hominis animus, ut ad Deum cognoscendum perveniat, ab eo semper adjuvetur: haud repugnantem Platonii proferunt opinionem.
 3. L. Annaeus Seneca morte quam vita major fuisse videtur.
 4. Ingenii cultum disciplinaeque rationem optime instituunt qui graecarum litterarum auspiciis ad scientiam conquirendam accedunt.
 5. Errant, qui Reipublicae Polonorum instituta institutorumque terminos a jure romano petitos esse affirment.
-









BN

BIBLIOTEKA
NARODOWA

2070114
